DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA DE DELICTO VULNERATIVO, QUAM ... PRO LICENTIA...

Digitized by Google

S. R. J.

Illuſtris ac Liberæ

Reipublicæ Noribergenſis

Patribus Conſcriptis

VIRIS

Generoſis, Magnificis, Strenuiſſimis & Prudentiſſimis

DNN.

DUUMVIRIS,

TRIUMVIRO,

SEPTEMVIRIS,

CONSULIBUS,

COETERISQVE

SENATORIBUS,

Dominis Evergetis & Patronis Gratioſis,

Hanc Diſputationem Jurid. Inauguralem ea, qua decet, obſervantia in ſui ſuorumq; Studiorum ulteriorem commendationem

ſubmiſſe didicat

PAULUS ECKEBRECHT.

PROOEMIUM.

DUo eſſe docertandi genera, unum per diſceptationem, alterum per vim, tradit eloqventiæ latinæ Parens *Cicero lib. 1. de Offic. c. 2.* Prius genus in Academiis pervulgatum non minus publicè inter Profeſſores & Studioſos, qvam privatim inter pocula, qvæ non raro alteri Ciceronis generi anſam præbent, maximoq; cum nonnullorum detrimento finis imponitur, adeo, ut interdum apud ipſos JCtos medicina qværenda, & Judici, tanqvam præſidi, merces præſidii non ſine Parentum damno exſolvenda ſit; cujus rei exempla, præterqvam qvod, Proh dolor! luce meridiana notiora ſint, vel ego nonnulla enarrarem, ſi inſtituti & temporis ratio pateretur, incommodoq; meo maximo nō ſenſiſſem, qvæ me docuerunt, qvi ſint dies Critici vulnerum & percuſſionum, qvantumq; uſum hodie habeant. Qvos cum in diſputatione aliqva Helmſtadii Anno 1679. habita ſatis dum temporis explicatos reddiderim, nunc de materia loco Inauguralis diſputationis excutienda meditanti animus anxius non erat, ſiqvidem nihil convenientius arbitratus ſum, qvam *Delictum vulnerativum* ibidem ex inſtituto non tractatam exponere.

Qvoniam verò nimis ampla, qvin indefinita ob varios caſus & circumſtantias ſit *l. aut facta 16. §. 1. 2. & ſeqq. ff. de pœn.* qvas omnes diligenter attendere & ex eis pœnam æſtimare judicis eſt prudentis & circumſpecti *l. qvid ergò 13. §. pœna gravior. 1. ff. de his qvi notant. inf. l. in ſervorum 10. in fin. ff. de pœnis l. ſi ſervus 5. ff. ſi ex noxali cauſa agat & l. 1. §. ſed & qvi ff. de abig. Auth. omnes peregrini C. commun. de ſucceſſion. l. Pedius 4. ff. de incend. ruina naufrag. Mynſ. cent. 2. obſerv. 30. Schenck concl. 92. de remiſſione & mutatione pœna tractant Dd. ad d. l. qvid ergo.*

Nam ratione temporis delictum noctu cōmiſſum gravius plerumq; eſt, qvam commiſſum interdiu. *l. 16. §. 5. ff. de pœn.* Hinc atrociores dicuntur fures nocturni, diurnis, de qvo latè agit *Cujac. XI. obſerv. 27.* Ratione intentionis, lubricæ lingvæ verba in malam qvin peſſimam partem, ut fieri aſſolet, ſæpè vertuntur. *l. famoſi 7. §. hoc tn. 3. ff. ad Leg. Jul. majeſt. & l. unic. C. Si qvis Imperat. maledixerit.* Ratione Perſonæ, & qvidem ex parte ejus qvi delinqvit qvandoq; gra-

vius eſt, qvod committit vir, qvam qvod fœmina idq́; propter fragilitatem & infirmitatem ſexus fœminei. *l. fere 108. ff. de R. J.* & gravius qvod pubes, qvam qvod impubes committit. *d. l. 108. de R. J. l. auxilium 37. §. ſed & 1. ff. de minor.* & in hanc legem *Cujac. p. m. 175. l. infans 12. ff. ad Leg. Corn. de Sicar. & venef. l. impuberes 18. C. de falſa moneta c. unic. Clem. de homic. Gail. 2. obſer. pr. 110. n. 30.* Hinc cum qvis pubertati eſt proximus & doli capax tenetur non ordinaria, ſed extraordinaria ac mitiori pœna. *d. l. auxilium 37. verb. in delictis ff. vere minor. Menoch. l. 2. de arbitrar. Judic. quæſtionib. & cauſ. caſ. 329. num. 2. & ſeq.* Sic gravius punitur, qvod committit annis XXV. major, qvam qvod minor. Unde minor XXV annis dicitur puniri arbitrio Judicis. *Zuch. in rubr. C. Qvi admitti ad bonor. poſſeſſ. poſſunt. & in verſ qvod temp. num. 23. Menoch. d. caſu. 329.* Senum tamen pœnæ moderandæ ſunt. *Menoch. de caſ. n. 20. & 21. Gail. obſerv. pract. 110. n. 33.* gvavius interdum etiam qvod dives, qvam qvod pauper committit: ex parte v. ejus in qvem delinqvitur, gravius eſt commiſſum in magiſtratum, qvam in privatum. *§. atrox. 9. Inſt. de Injur.* Ratione Loci gravius eſt delictum, qvod publicè fit, qvam qvod privatim. *d. §. atrox. 9. de Inj.* gravius qvod in loco Sacro, qvam profano fit. *l. aut facta 16. §. locus ff. de pœnis.* Ratione Qvalitatis perſonæ conſiderandæ ita veniunt, ut aliter graſſatores, aliter Expilatores, aliter fures puniendi ſint. *d. l. 16. §. qvalitas 6. de pœn. & l. 1. §. 1. & 2. ff. de Effractor. & Expilator.* Ratione Qvantitatis, aliud factũ atrocius aliud levius eſt, ſiqvidem graviori pœna afficiendus eſt abigeus, leviori fur *alleg. l. 16. §. Qvantitas 7. ff. de pœnis. l. 3. ff. de abigeis.* Ratione Eventus aliter factum propoſito, aliter caſu perpetratum eſt æſtimandum. *l. qvi occidit 30. §. in hac qvoq; 3. ad Leg. Aqvil. & Exod. 22. §. 5. & 6. d. l. 16. §. Eventus 8. ff. de pœn. & Cujac. XIX. obſerv. 10. in fin. Ant. Matth. de Crimin. ad tit. de pœnis. t. 18. c. 4. n. 29.* Et qvis omnia facta & circumſtantias enarrabit. Qvia vero Rubrica noſtra continet delictum vulnerativum & ſic ſpeciem delicti Aqviliæ, qvod pro circumſtantia facti mire variat pœnas, proinde ordine tractabimus materiam, & qvidem titulo I. agemus, de definitione, cauſis, effectibus, accidentibus & diviſione delicti vulnerativi: titulo vero II. de pœnis delicti vulnerativi. Tu itaq; Triune Deus, propoſitum ſecunda, ut vera & ſalutaria promam, rectè judicem & verum à falſo dignoſcam. Tu autem, Benevole Lector, talem Tibi in hoc ſcripto dijudicando qvalem ego in aliis, libertatem ſumas oro. Habes enim me per omnia obſeqventem, qvi nunqvam vel ignorantiam vel artis Diſciplinam detrectaverim, ſed ſemper ætati meæ conducibile putaverim, dare locum melioribus, diſcere à Peritis & ſeqvi optimos.

J. J.

TIT. I.
De
DEFINITIONE, CAUSIS, EFFECTIBUS, ACCIDENTIBUS ET DIVISIONE DELICTI VULNERATIVI.

§. 1.

DElictum Vulneratívum eſt delictum privatum vulnerando commiſſum. *pr. I. de Oblig. quæ ex delict. l. 13. §. 8. l. 15. pr. l. 30. §. 4. ff. ad L. Aqvil.*

Exempli gratia.

§. 2. Si homo, dum intelligit convenientiam & disconvenientiam actionum cum lege naturali præceptiva & prohibitiva, contra legem naturalem agit & ultionem privatam ſub ratione boni appetit & proximum vulnerat, delictum vulnerativum committit. *l. 15. §. 1. ff. ad L. Aqvil.*

§. 3. In hac definitione genus proximum eſt delictum privatum; differentia ſpecifica eſt τὸ vulnerando commiſſum. *pr. I. de oblig. quæ ex delicto. l. 27. §. 17. ff. ad L. Aqvil.*

§. 4. Delictum eſt genus delicti vulnerativi. *(1.)* Qvia eſt materia delicti vulnerativi, qvæ à forma eſſentiam ſpecificam accipit. Nam ſi vulneratio, qvæ eſt forma delicti vulnerativi, imprimitur, fit delictum vulnerativum. *(2.)* Quia dat eſſentiam genericam delicti, & vulneratio dat eſſentiam ſpecificam delicti vulnerativi. Nam ſicut animal dat eſſentiam genericam hominis, & τὸ rationale dat eſſentiam ſpecificam hominis: ita delictum dat eſſentiam genericam delicti vulnerativi & τὸ vulnerando commiſſum dat eſſentiam ſpecificam delicti vulnerativi.

§. 5. Ad eſſentiam delicti vulnerativi reqviritur in genere idem, quod ad eſſentiam delicti in genere ſic dicti reqviritur.

§. 6. Delictum in genere eſt actus externus à lege naturali præceptiva vel prohibitiva culposè aberrando commiſſus. *l. 13.*

A §. 2.

§. 2. ff. locat. cond. l. 1. ff. de his qui dej. l. 5. §. 1. ff. ad L. Aquil. l. 10. §. 1. ff. de J. & J.

Ex. gr.

§. 7. Si intellectus intelligit convenientiam & diſconvenientiam actionum cum lege naturali ſeu turpitudinem moralem, intellectus voluntati indicat eam, ut convenienter legi naturali agat & turpitudinem moralem fugiat; Si verò voluntas ex appetitu iraſcente ultionem ſub ratione boni appetit & proximum, cui iraſcitur, vulnerat, delictum committit, quia à lege naturali præceptiva & prohibitiva culposè aberrando damnificat. *l. 27. §. 17. ff. ad L. Aquil.*

§. 8. Ad eſſentiam delicti in genere requiritur, (1.) ut ſit actus. Nam potentia delinqvendi nondum in actum traducta, non eſt delictum, *l. 1. §. 1. ff. de furt.* (2.) Ut ſit actus externus. Nam ſi actus internus à lege naturali morali ex ſcientia culposè aberrat, non eſt delictum, ſed peccatum; quia cogitationis pœnam nemo patitur. *l. 10. ff. de pœn.* (3.) Ut lege naturali præceptivâ & prohibitivâ aberret. Nam ſi cum hac lege convenientiam in omnibus & per omnia habet, non eſt delictum. *l. 3. ff. de J. & J.* (4.) Ut aberret à lege naturali ex uſu intellectûs. Nam ſi actus aberrat à lege naturali ex inſcitia puræ negationis, ità; ut homo vel animal nullum uſum intellectûs habeat, & ſic purè intelligere nequeat, non eſt delictum; quia is delinquere non poteſt, qui convenientiam & diſconvenientiam actionum cum lege naturali, ſeu turpitudinem moralem non intelligit, dum intellectus voluntati eam indicare non poteſt, & voluntas bonum ſub ratione boni appetere, & malum ſub ratione mali fugere non poteſt, dum ignoti nulla cupido, nec fuga. *l. 1. §. 1. 2. ff. de J. & J.* (5.) Ut aberret à lege naturali culposè. Nam ſi aberrat inculposè à lege naturali per principium extrinſecum & ex omni parte violentum, ita, ut agens nihil conſenſus & auxilii conferat, non eſt delictum, quia malum neque ſub ratione mali, neque ſub ratione boni appetit, ſed omni modo adverſatur. *l. 27. §. 21. 33. ff. ad L. Aquil.*

Ex. gr.

§. 9. Si alicujus manus à fortiori, cui is reſiſtere non poteſt, arripitur, & inde alterius os aut naſus læditur & vulneratur, ita ut

ut is, cujus manu læſio fit, nihil confert ad læſionem, neque conſenſum, neque auxilium, ille delictum non committit, quia malum non appetit, ſed adverſatur. *l. 27. §. 21 ff ad L. Aquil.* (6.) Ut ſit in cauſis levioribus damnificans, in cauſis verò graviſſimis conatum in actum proximum traducens. Nam ſi quis aberrat à lege naturali & inde damnum non dat, non eſt delictum, ſed peccatum, quia in foro civili ille actus externus eſt tum demùm delictum, per quem damnum datur in corpore, bonis, dignitate, vel fama. *l. 1. §. 2. ff. de injur.* Deinde ſi quis ad interitum Imperii Romani, vel ipſius Imperatoris conſilium aliquod concipit, & hominem per conſpirationem convocat & arma gerit, ejus conatus, licet damnum nondum dederit, tamen eſt delictum, quia conatum in actum proximum traduxit. *l. 1. pr. ff. ad L. J. Majeſt.* (7.) Ut ſit commiſſus. Nam ſi actus nondum eſt commiſſus, ſed adhuc committendus, non eſt delictum. *l. 15. §. 10. ff. de injur. l. 21. §. 7. ff. de furt.*

§. 10. Ad eſſentiam delicti vulnerativi requiritur in ſpecie, (1.) ut ſit delictum. Nam ſi non eſt delictum, non eſt delictum vulnerativum; ſiquidem de quo negatur genus, de eo quoque negantur omnes ſpecies ſub illo genere contentæ. (2.) Ut ſit vulnerando commiſſum. Nam ſi delendo, radendo, extingvendo, excutiendo, abortum cauſando, inqvinando, effundendo vel alio modo eſt commiſſum, non eſt delictum vulnerativum, ſed alia ſpecies delicti privati. *l. 27. §. 2. 14. 15. 19. 21. 22. & l. 40. 41. 42. ff. ad L. Aqvil.*

§. 11. Cauſa efficiens delicti vulnerativi eſt perſona, potentiam vulnerandi in actum traducens.

§. 12. Delictum vulnerativum committere poteſt:

1. Pupillus pubertati proximus. *l. 13. §. 1. ff. de dol. mal. §. 9. I. de inutil. ſtipul. l. 23. ff. de furt. l. 111. ff. de R. J. l. 5. §. 2. ff. ad L. Aquil.*

§. 13. Ratio autem, cur pupillus pubertati proximus delictum committere poſſit, eſt, quia doli capax eſt. *l. 3. §. 1. ff. de injur. l. 13. §. 1. ff. de dol. mal.*

§. 14. Ratio rationis eſt, quia habet aliquem uſum intellectûs. *§. 9. I. de inutil. ſtipul.* Eo ipſo autem dum pupillus pubertati pro-

ximus aliquem uſum intellectus habet, intellectus, qui eſt primum agendi principium, licet ſit infirmiſſimus, tamen aliquo modo, tanquam per nebulam tenebricoſam convenientiam & disconvenientiam cum lege naturali præceptiva & prohibitiva intelligit, & voluntati eam notam, licet admodùm obſcurè, facere poteſt, ut convenienter legi naturali agat & disconvenientiam ſeu turpitudinem moralem fugiat; Sin autem voluntas ſcienter ex aliquali indicio intellectus à lege naturali aberrat, & damnum vulnerando dat, pupillus delictum vulnerativum committit.

§. 15. Nec obſtat, quando dicitur, intellectum non movere voluntatem, ſed à voluntate moveri intellectum, ut intellectus potentiam intelligendi & bonum à malo dijudicando in actum traducat & conſulat, quid voluntas eligere debeat. Eo ipſo autem dum voluntas movet intellectum ad intelligendum, ſequitur, ut intellectus non ſit principium agendi, ſed voluntas. Hoc, inquam, non obſtat. Nam intellectus eſt principium agendi in actu ſignato, in quo in genere quaſi in ſpeculo oſtendit convenientiam & diſconvenientiam actionum humanarum cum lege naturali, ut ſi voluntas velle & eligere velit, ex illo bonum ſub ratione boni eligere & malum ſub ratione mali fugere queat. Et ſic in actu ſignato intellectus eſt principium primum agendi, tum voluntas dependet ab intellectu, tum quod nihil vult, niſi quod intellectus intelligit, tum quod ſic vult, prout intelligit intellectus. Ignoti enim nulla cupido. Verùm in actu exercito, in quo in ſpecie intellectus de hoc vel illo actu judicare & conſulere debet, quid voluntas eligere debeat ſub ratione boni, vel fugiat ſub ratione mali, intellectus non eſt principium primum agendi, ſed voluntas, quia voluntas eſt primum movens inter omnes animæ facultates. Nam ſi voluntas potentiam agendi in actum traducit, intellectum movet ad intelligendum, & in ſpecie hoc vel illud vult, intellectum movet ad dijudicandum & conſulendum, qvid in ſpecie & in individuo ſub ratione boni ſit eligendum, quid ſub ratione mali fugiendum. Hoc facto & conſilio dato voluntas iterum movetur ab intellectu, ut bonum ſub ratione boni eligat & malum ſub ratione mali fugiat. Cùm autem voluntas non poſſit cogi ab intellectu, evenit, ut ſæpe malum ſub ratione boni eligat, & bonum

ſub

ſub ratione mali fugiat ab affectibus devicta. Nam accidit voluntati, ut licet ab intellectu optimum accipiat conſilium, quid eligere debeat, tamen ab appetitu concupiſcente vel iraſcente, ſæpe cœco impetu fertur, ut conſilium bonum reſpuat, & affectibus ſuis obedientiam præſtet. Et quamvis in poteſtate hominis ſit, affectus moderari, & reſiſtentibus illis imperare, ut inſtar equi calcitroſi nihilominùs tandem ſeſſorem admittant, tamen affectus rationis qvandoque & voluntatis detrectant imperium & nullum imperium admittunt. Etenim imperium voluntatis in appetitum ſenſitivum eſt civile, quale magiſtratui competit in ſubditos, quod reſiſtendi facultatem appetitui aliquam relinquit, ut reſiſtere poſſit, non abſolutè & ſimpliciter coactivum. Et ſi appetitus reſiſtit voluntati, ejus motus ſæpe tantus eſt, ut voluntas conſilii immemor, qvaſi occœcata cedit affectibus.

§. 16. Nec obſtat, quando dicitur, Deum operari in homine & velle & perficere. Eo ipſo autem, dum Deus in homine operatur & velle & perficere, ſequitur hominem delictum non committere, ſed Deum eſſe omnis delicti cauſam. Nam dum Deus voluntatem hominis movet ad actum agendi & perficiendi, & homo per hunc motum divinum appetit malum ſub ratione boni & delinquit in proximum, eum vulnerando vel alio modo damnum inferendo, homo in culpa eſſe non intelligitur, dum ad delictum nihil confert, neque velle neque perficere; ſed Deus cenſendus eſt cauſa delicti, dum tanquam principium extrinſecum & velle & perficere operatur. Hoc, inquam, non obſtat. Nam Deus operatur velle & perficere non per influxum phyſicum, dum in voluntatem hominis phyſicè non influit, & velle & actum volendi excitat & producit, ſed per influxum moralem, dum homini evangelium annunciari curat, & ſic objectum ipſi proponit, quo viſo & audito homo movetur ad actum volendi & perficiendi. Sic ſi Deus homini crucem imponit, & ſic ei, qui ſecurus eſt, & ad Deum confugere, & ejus auxilium implorare neglexit, per crucis impoſitionem, tanquam per frenum Deus moraliter in voluntatem hominis influit, & eum ad ſe attrahit, ut ad Deum confugiat & liberationem petat. *Pſal. 32. v. 9.* Et ſic operatur in eo velle & perficere. Eo ipſo autem dum Deus velle & perficere phyſicè

non operatur, ſed moraliter, conſequens eſt, ut Deus, ſi homo malum ſub ratione boni eligit & delinquit, non ſit cauſa delicti, ſed homo, qui licet ex lumine naturæ convenientiam & diſconvenientiam actionum cum lege naturali intelligit, & affectus moderari novit, nihilominùs affectibus cedit, & malum præ bono eligit & delinquit. Hinc illud: Video meliora proboque, deteriora ſequor. *Rom. 7. v. 18. 19. 23.*

§. 17. Pupillus pubertati proximus eſt maſculus, qvi ingreſſus eſt alteram dimidiam anni undecimi. *pr. I. quib. mod. tut. fin. l. 2. pr. ff. de V. & P. S. l. ult. C. quand. curat. vel tut. eſſe deſin.*

§. 18. Pupilla pubertati proxima eſt fœmina, quæ dimidium anni decimi eſt ingreſſa. *pr. I. quib. mod. tut. fin. l. 2. ff. de V. & P. S. l. 5. ff. qui teſtam. fac.*

§. 19. *II.* Pubes. *l. 13. §. 1. ff. de dol. mal* §. *18. I. de obl. quæ ex delicto. l. 3. ff. de injur.*

§. 20. Ratio autem, cur pubes delictum vulnerativum committere poſſit, eſt, quia eſt doli capax. Nam ſi pupillus pubertati proximus doli capax eſt, multò magis pubes, qui jam XIV. annos natus eſt, doli capax erit. *l. 13* §. *1. ff. de dolo malo.*

§. 21. Ratio rationis eſt, quia majorem uſum intellectus habet pubes, quàm pupillus pubertati proximus. Nam aucto annorum numero, ætatis, augetur uſus intellectus. Hinc pubes teſtamentum facere poteſt. *l. 5. ff. qui teſt. fac.* & juramentum præſtare valet. *l. 26. pr. l. 34. ff. de jurejur.* Quæ pupillus pubertati proximus ob minorem uſum intellectus facere non poteſt. Teſtamentum quippe facere & jurare neqvit. *l. 5. ff. qui teſt. fac. l. 26. pr. l. 34.* §. *2. ff. de Jurejur.* Eo ipſo autem dum pubes majorem intellectus uſum habet, quàm pupillus pubertati proximus, intellectus majore luce convenientiam & diſconvenientiam actionum cum lege naturali præceptiva & prohibitiva videre, cognoſcere & intelligere habet, eam voluntati oſtendere & clariùs indicare novit, ut convenienter legi naturali agat, & diſconvenientiam cum lege naturali ſeu turpitudinem moralem fugiat; Sin autem voluntas ſcienter ex magis dilucido indicio intellectus à lege naturali aberrat, & damnum vulnerando dat, pubes delictum vulnerativum omninò committit, *l. 13. §. 1. ff. de dol. mal.*

§. 22.

§. 22. Pubes maſculus eſt is, qui annum decimum quintum ingreſſus eſt. *pr. I. quib. mod. tut. l. 2. pr. ff. de V. & P. S.*

§. 23. Pubes fœmina eſt perſona, quæ annum decimum tertium eſt ingreſſa. *d. pr. l. 5. ff. qui teſt. fac.*

§. 24. *III.* Pubes plenæ pubertatis. *l. 13. §. 1. ff. de dol. mal.*

§. 25. Ratio, cur pubes plenæ pubertatis delictum committere poſſit, eſt, quia doli capax eſt. *l. 13. §. 1. ff. de dolo mal. §. 18. I. de Oblig. quæ ex dol.*

§. 26. Ratio rationis eſt, quia majorem uſum intellectus habet, quàm pubes. Nam aucto annorum numero, ætatis, augetur intellectus uſus. Hinc pubes plenæ pubertatis judex eſſe poteſt. *l. 57. ff. de re jud.* Procurator & Advocatus. *§. 7. I. qui & ex quib. cauſ.* & regimen ſuſcipere poteſt, ſi eſt perſona illuſtris. *A. B. art.* 7. Dum autem pubes plenæ pubertatis majorem intellectus uſum habet, quàm pubes minùs plenæ pubertatis, intellectus longè majore luce convenientiam & disconvenientiam actionum cum lege naturali præceptiva & prohibitiva cognoſcere, videre & intelligere valet, & voluntati longè dilucidiori indicio demonſtrare poteſt, ut voluntas convenienter legi naturali morali agere & turpitudinem moralem fugere poſſit; Si verò voluntas ſcienter ex longè dilucidiori intellectus judicio à lege naturali aberrat, & damnum vulnerando dat, pubes delictum vulnerativum turpiùs committit. *l. 13. §. 1. ff. de dolo mal. l. 57. ff. de re judic.*

§. 27. Pubes maſculus plenæ pubertatis eſt perſona, quæ minor eſt viginti quinque annis, ſed major ſeptendecim annis, hoc eſt, quæ annum decimum octavum ingreſſa eſt. *§. 7. I. qui & ex quib. §. 4. I. de adopt. l. 40. §. 1. ff. eod. l. 14. ff. de alim. legat.*

§. 28. Pubes maſculus minùs plenæ pubertatis eſt perſona XVII. annis minor, hoc eſt, quæ XVIII. annum nondum eſt ingreſſa. *§. 7. I. qui & ex quib.*

§. 29. Pubes fœmina plenæ pubertatis eſt perſona, quæ annum XIV. eſt ingreſſa. *l. 14. §. 1. ff. de alim. leg.*

§. 30. Pubes fœmina minùs plenæ pubertatis eſt perſona, quæ annum XIV. nondum eſt ingreſſa. *l. 14. §. 1. ff. de alim. legat.*

§. 31. *IV.* Minor XXV. annis, ſed major XVIII. vel XX. annis. *l. 13. §. 1. ff. de dol. mal. l. 23. ff. de furt.*

§. 32.

§. 32. Ratio, cur minor XXV. annis delictum vulnerativum committere poſſit, eſt, quia doli capax eſt. Nam ſi pupillus pubertati proximus doli capax eſt, multò magis minor XXV. annis doli capax erit, ſi major eſt XVIII. vel XX. annis. *l. 13. §. 1. ff. de dol. mal.*

§. 33. Ratio rationis eſt, quia minor XXV. annis, ſed major XVIII. vel XX. annis majorem intellectus uſum habet, quàm pubes plenæ pubertatis. Nam aucto annorum numero, augetur lux & uſus intellectus. Hinc minor XXV. annis, ſed major XX. in criminalibus teſtis eſſe poteſt, quia longè majorem lucem intellectus habet, quàm pubes plenæ pubertatis. *l. 20. ff. de teſt.* Eo ipſo autem dum minor XXV. ſed major XVIII. vel XX. annis majorem lucem intellectus habet, quàm pubes plenæ pubertatis, intellectus longè majori luce convenientiam & diſconvenientiam actionum cum lege naturali præceptiva & prohibitiva videre, cognoſcere & intelligere poteſt, & eam voluntati indicare longè dilucidiori judicio novit, ut voluntas convenienter legi naturali morali agere & turpitudinem moralem fugere poſſit. Si verò voluntas ſcienter majori intellectus judicio à lege naturali aberrat, & damnum vulnerando dat, minor delictum vulnerativum committit. *l. 13. §. 1. ff. de dol. mal. l. 20. ff. de teſt.*

§. 34. *V.* Major XXV. annis. *l. 1. §. 2. ff. de minor. l. 5. §. 3. ff. ad L. Aquil. l. 6. l. 9. ff. eod.*

§. 35. Ratio, cur major XXV. annis delictum vulnerativum committere poſſit, eſt, quia doli capax eſt; Nam ſi pupillus pubertati proximus doli capax eſt, multò magis major XXV. doli capax erit, quia major xxv. annis perfectiſſimum & pleniſſimum intellectus uſum habet, cum ad virilem vigorem intellectus perveniſſe conſtat. *l. 1. §. 2. ff. de minor.* Eo ipſo autem dum major xxv. annis perfectiſſimum & pleniſſimum intellectus uſum habet, intellectus perfectiſſimè & pleniſſimè convenientiam & diſconvenientiam actionum cum lege naturali & turpitudinem moralem intelligit, & eam voluntati perfectiſſimè & dilucidiſſimè indicare poteſt, ut voluntas convenienter legi naturali agat & turpitudinem moralem fugiat; Sin autem voluntas ſcientiſſimè ex dilucidiſſimo intellectus ſpeculo licitum præ illicito, bonum præ malo

eligere

eligere valet, & nihilominùs à lege naturali aberrat & malum præ bono eligit & damnum vulnerando dat, major xxv. annis delictum vulnerativum turpiſſimè committit.

§. 36. *VI.* Prodigus, moraliter talis. *l. 12. §. 2. ff. de tutor. & curat. dat.*

§. 37. Ratio, cur prodigus moraliter talis delictum vulnerativum committere poſſit, eſt hæc, quia doli capax eſt & uſum intellectus habet. *l. 12. §. 2. d. t.*

§. 38. Nec obſtat *l. 40. ff. de R. J.* ubi expreſſè dicitur, qvod prodigo nulla ſit voluntas. Si prodigo nulla eſt voluntas, tunc malum ſub ratione boni eligere & ſic delictum committere non poteſt, quia delictum ſine voluntate & intellectu committi nequit. *§. 8. l. de inutil. ſtip.*

§. 39. Hoc, inquam, non obſtat. Nam prodigus moraliter talis Jure Civili quoad effectum alienandi & adminiſtrandi bona ſua ſingitur nullam habere voluntatem & intellectum. *l. 40. ff. de R. J.* Verùm prodigus ſi in ſe & per ſe conſideratur, habet voluntatem & intellectum qvoad effectum delinqvendi, quia ex ſermonibus compos mentis ſuæ eſſe intelligitur. *l. 12. §. 2. ff. de tut. & curat. dat.*

§. 40. Prodigus moraliter talis eſt homo, qui nec tempus, nec finem expenſarum habet, ſed bona ſua diſſipat, & eorum furioſum facit exitum. *l. 12. §. 2. ff. eod. l. 1. pr. ff. de curat. fur.*

§. 41. *VII.* Prodigus Juridicè talis, quia doli capax eſt, & uſum intellectus habet. *l. 12. §. 2. ff. eod.*

§. 42. Nec obſtat *l. 6. ff. de V. O.* ubi dicitur, fidejuſſorem ejus non obligari: Eo ipſo autem dum fidejuſſor prodigi non obligatur, conſeqvens eſt, ut prodigus juridicè talis, neque naturaliter quoad effectus civiles, neque civiliter obligetur. Nam cujus fidejuſſor non obligatur, ille, cujus eſt fidejuſſor, multò minùs obligabitur. *l. 16. §. 1. ff. ad S.C. Vell.* junct. *l. 40. ff. de cond. indeb. l. 9. C. ad S.C. Vell.*

§. 43. Eo ipſo dum prodigus neque naturaliter, neque civiliter obligatur, ſeqvitur, eum nec delictum vulnerativum committere poſſe. Aliàs enim naturaliter & civiliter obligaretur. *l. 5. pr. ff. de injur. l. 9. ff. de furt.*

§. 44. Hoc, inquam, non obſtat. Nam fidejuſſor prodigi juridicè talis neque naturaliter quoad effectus civiles, neque civiliter obligatur, non ex eo, quòd prodigus delictum committere non poſſit, ſed ex eo, quia prodigus, dum ei curatore dato adminiſtratio bonorum & licentia alienandi eſt interdicta, ex contractibus alienatoriis neque naturaliter quoad effectus civiles, neque civiliter obligatur, dum Jus Civile omnes effectus civiles obligationis naturalis & obligationem civilem in eo ſuſtulit & extinxit.

§. 45. Prodigus Juridicè talis eſt homo, cui ob prodigalitatem alienatio & adminiſtratio bonorum eſt interdicta. *l. 12. §. 2. ff. de tut. & curat. dat. l. 1. pr. ff. de curat. furioſ. l. 40. ff. de R. J. l. 16. ff. de V. O.* Utrum verò Prodigo ipſo jure bonis interdictum ſit, an verò interdictio iſta à Magiſtratu per ſententiam fieri debeat? De hac dubia & ſpinoſa Qvæſtione vide omninò *Nobiliſſ. Dn. Dr. à* Soden *Diſp. 2. Colleg. Publ. de Tutel. & Cur. Poſ. I. lit. E.* ubi multis rationibus probat ſententiâ declaratoriâ hîc opus eſſe.

§. 46. *VIII.* Furioſus tempore intervalli dilucidi; quia tempore intervalli doli capax eſt & uſum intellectus habet. *l. 14. ff. de off. præſ. §. 1. I. qvib. non eſt perm. fac.*

§. 47. *IX.* Mutus, ſurdus, cœcus naturâ vel caſu, quia uſum intellectus habet, adeò, ut teſtamentum facere poſſint. *l. 8. l. 10. C. qui teſt. fac.*

§. 48. *X.* Ebrius, qui modicè ebrius eſt, ita, ut uſum intellectus adhuc habeat, quia doli capax eſt. *l. 6. §. 7. ff. de re milit.*

§. 49. *XI.* Ebrius immodicè, licet ſit in exilio mentis, ſi ex vitioſo habitu ſciens prudensque inebriatur & ſcit, ſe in ebrietate eſſe rixoſum & turbas excitare alioſque lædere. Nam licet in exilio mentis aliquem vulneraverit, delictum tamen committit, qvia damnum culpâ dat. Nam eo ipſo in culpa eſt, qvod ebrietate non abſtinuerit. *l. 1. ff. de injur.*

§. 50. *XII.* Iratus, qui in iracundiæ calore eſt conſtitutus, qvia uſum intellectus habet & doli capax eſt. *l. 5. C. de injur.*

§. 51. *XIII.* Dormiens, ſi ſcit ſe in ſomno damnum dare & non proſpicit, quò minùs dare poſſit, quia ſic delictum committit, dum culpâ damnum dat, qvod potuit non dare nec debuit. *l. 50. ff. de R. J.*

§. 52.

§. 52. Delictum vulnerativum committere non poteſt in genere is, qui nullum uſum intellectus habet. *l. 13. §. 1. ff. de injur.*

§. 53. In ſpecie delictum vulnerativum committere non poteſt:

§. 54. *I.* Infans, qvia nullum uſum intellectus habet & furioſo æquiparatur, dolique capax non eſt. *l. 3. §. 1. ff. de injur. §. 9. I. de inut. ſtip.*

§. 55. Nec obſtat *l. 5. ff. de R. J.* ubi expreſſè dicitur, Infantem, qui fari poteſt, differre à furioſo, & omnia tutore authore agere poſſe. Eo ipſo autem, dum infans, qui fari poteſt, differt à furioſo & omnia tutore authore agere poteſt, ſequitur, ut infans, qui fari poteſt, habeat aliquem uſum intellectus. Nam ſi nullum uſum intellectus haberet, ſicut furioſus, à furioſo diſtingvi non poſſet, & dum omnia tutore authore agere poteſt, neceſſe eſt, ut aliquem uſum intellectus habeat. Nam ſi nullum uſum intellectus haberet, etiam tutoris authoritate nullum negotium gerere & nullum contractum inire poſſet, quia tutor conſenſum infantis, qui nullus eſſet, ſuo conſenſu confirmare non poſſet. Nam non entis nullæ ſunt affectiones, & ubi nullus eſt conſenſus, ibi non eſt conſenſus confirmatio & approbatio.

§. 56. Hoc, inquam, non obſtat. Nam in *d. l. 5. ff. de R. J.* infans, qui fari poteſt, ponitur pro pupillo infantiæ proximo. Et ex uſu Juris, ubi in corpore Juris infans legitur, qui fari poteſt, ibi ſemper ponitur pro pupillo infantiæ proximo & tutore authore rectè agere poteſt. *l. 1. §. 3. l. 32. §. ult. ff. de A. & A. P. l. 3. C. eod.* Et infans qui fari poteſt, dicitur infante major ex eo, quia infantiam eſt egreſſus & eſt pupillus infantiæ proximus. *l. 1. §. 2. ff. de admin. tut. l. 65. §. penult. ad S. C. Trebell. l. 1. §. 13. ff. de O. & A. l. 70. ff. de V. O. l. 6. ff. rem pupill. ſalv. fore. l. 18. §. 4. C. de jure deliber.* Eo ipſo autem, dum infans, qui fari poteſt, non eſt infans propriè ſic dictus, qvi minor ſeptem annis. *l. 18. pr. de jur. delib.* & ponitur pro pupillo infantiæ proximo, conſectarium eſt, infantem, qui fari poteſt, ſi in ſtatu naturæ conſideratur, à furioſo non differre, & nullum uſum intellectus habere ſicut furioſus, *§. 9. I. de inutil ſtip.* Et ideò ſi damnum dat, delictum commiſiſſe non intelligitur, qvia delictum committi non poteſt, niſi ab eo, qui aliquem uſum intellectus habet, & aliqualem ſcientiam legis natu-

ralis. *l.* 1. §. 3. ff. *ſi quadrup. paup. pr. l. eod.* Verùm ſi infans, qui fari poteſt, dum eſt major infante & infantiæ proximus, in ſtatu contractuùm conſideratur, quatenus in ſui utilitatem fingitur aliquem intellectus haberi uſum, tutoris authoritate contrahere, omnia tutore authore agere, & ſe civiliter ejus authoritate obligare poteſt. *l.* 5. *ff. de R. J. l.* 1. §. 2. *ff. de admin. tut. l.* 65. §. *pen. ff. ad S.C. Trebell. l.* 1. §. 13. *ff. de O. & A. l.* 70. *ff. de V. O. l.* 6. *ff. rem pup. ſalv.*

§. 57. Infans eſt homo, qui ſeptimum annum nondum eſt egreſſus. *l.* 18. *C. de Jur. delib. l.* 14. *ff. de ſponſ. l.* 1. §. 2. *ff. de adminiſt. tut.*

§. 58. *II.* Pupillus infantiæ proximus, quia doli capax non eſt, neque uſum intellectus habet, & non multum à furioſo diſtat, §. 9. *I. de inutil. ſtip. l.* 3. §. 1. *ff. de injur.*

§. 59. Nec obſtat §. 9. *I. de inutil. ſtipul.* ubi expreſsè dicitur, quòd pupillus infantiæ proximus tutore authore omnia rectò agere & ſe obligare poſſit. Eo ipſo autem dum ſe tutore authore obligare poteſt, conſeqvens eſt, ut aliquem uſum intellectus habeat & doli capax ſit. Aliàs enim neque naturaliter, neque civiliter obligari poſſet. §. 9. *I. de inutil. ſtipul.*

§. 60. Hoc, inquam, non obſtat; Nam pupillus infantiæ proximus, ſi in ſtatu Juris Civilis ficto conſideratur, in quo in ejus utilitatem fingitur habere aliquem uſum intellectus, tutoris authoritate contrahere & civiliter obligari poteſt, non ex eo, quòd in ſtatu Juris Civilis uſum intellectus habeat, ſed ex eo, quia in ſui utilitatem fingitur habere aliquem intellectus uſum. Et hæc eſt ratio, cur filiusfamilias, ſi non ſibi acqvirit, ſed patri, licet conſenſu patris contraxerit & ſeſe obligaverit, tamen neque naturaliter, neque civiliter etiam authore patre obligetur. §. 9. *I. de inutil. ſtipul.* Verùm ſi pupillus infantiæ proximus in ſtatu Juris Civilis vero conſideratur, pupillus nullum intellectus uſum habet, & doli capax non eſt, quia non multum à furioſo diſtat. §. 9. *I. de inutilib. ſtip.* Hinc pupillus infantiæ proximus, ſi in ſtatu delictorum conſiderandus venit, in quo in ſui utilitatem non fingitur habere aliquem uſum intellectus (nam ſi delinqvit, utilitatem aliquam in re familiari contrahere non poteſt, ſed nil niſi damnum inde ſibi conciliare valet) ex ſtatu Juris Civilis vero dijudicandus

dus & æſtimandus venit, & quia in ſtatu eo nullum intellectus uſum habet, & furioſo comparatur, ſi delictum committit, delictum commiſiſſe non intelligitur, quia delictum committere non poteſt, niſi ex uſu intellectus & ſcientia legis naturalis. Et hæc eſt ratio, cur brutum delictum committere non poſſit; quia intellectu caret, & ſi damnum dat, ſine injuria dediſſe dicitur, hoc eſt, ex nullo intellectu & ex nulla legis naturalis ſcientia. *l. 1. §. 3. ff. ſi quadrup. paup. fec. dic.*

§. 61. Pupillus infantiæ proximus eſt maſculus, qui annum ſeptimum eſt egreſſus, ſed alteram dimidiam anni undecimi nondum eſt ingreſſus. *§. 9. I. de inutilib. ſtip. l. 1. §. 1. ff. de dol. mal. l. 5. ff. qui teſtam. fac. poſſ.* Notandum tamen hîc & ſuprà eſt, magnam inter Doctores concertationem eſſe, qvis ſit & dicatur verè proximus infantiæ & pubertati, ut propterea Prælaud. *Magnificus Dn. Doctor* à SODE &c. arbitrio judicis id æſtimandum relinqvat in ſua *Diſp. I. laudat. Colleg. Publ. de Tutel. & Cur. Poſ. I. lit. E.* ubi quoque fusè explicat & accuratiori indaginis ſtaterâ ponderat ÆTATIS GRADUS: inſimulq; ex Jure Romano conſvetudinis originem, quod in Hiſpania adhuc hodiè qvoad Regiam prolem ſceptrô non potientem, omnes liberi natu avoque grandiores, *Infantes* ſalutentur, adducens.

§. 62. Pupilla infantiæ proxima eſt fœmina, quæ annum ſeptimum eſt egreſſa, ſed nondum alteram anni decimi eſt ingreſſa. *pr. I. quib. mod tut. fin. l. 2. de V. & P. S. l. 5. ff. qui teſt. fac.*

§. 63. *III.* Furioſus, quia nullum uſum intellectus habet, & nôn intelligit, quod agit. *§. 8. I. de inutil. ſtip. l. 9. §. 1. ff. de injur.*

§. 64. Furioſus eſt homo demens cum ferocia ac horrenda vehementia agens. *l. 25. C. de nupt. l. 48. §. 1. ff. de leg. 2.*

§. 65. *IV.* Dormiens, ſi neſcit ſe in ſomno damnum dare, & ſic ſibi proſpicere non poteſt, quò minùs in ſomno damnum det, quia uſum intellectus, dum dormit, exercere non poteſt, & omni culpâ caret. *c. 8. c. 15. q. 1. c. 10. c. 15. q. 1.*

§. 66. *V.* Ebrius immodicè, ita ut uſum intellectus non habeat, & non ex vitioſo habitu ſit inebriatus, ſed ex improviſo, & neſciat ſe in ebrietate eſſe rixoſum alioſque lædere; quia ſic non intelligit, quod agit, & ſic in nulla culpa eſt, quæ præceſſit. *l. 3. §. 1. ff. de injur.*

§. 67. *VI.* Brutum; quia omni intellectu caret, & per ignorantiam puræ negationis turpitudinem moralem ſeu disconvenientiam actionum cum lege naturali non intelligit. *l. 1. §. 3. ff. ſi quadrup. paup. fec.*

§. 68. Nec obſtat *pr. I. de J. N. G. & C.* Nam brutum jurisperitum cenſeri dicitur, non intelligitur peritum peritia juris naturalis, ſed tantùm inſtinctus naturalis. Siquidem jus naturale, quod natura omnia animalia docuit, ponitur pro inſtinctu naturali, qui omnibus animalibus, tàm homini, quàm brutis, communiter ineſt, quò impelluntur ad ſe multiplicandum, ad partus procreandos, pullos educandos, tutelamque ſui corporis faciendam. Videmus enim cætera qvoque animalia iſtius inſtinctus perita cenſeri. Animalia bruta inſtinctui naturali convenienter agunt, ſed convenientiam & disconvenientiam actionum ſuarum cum lege naturali non intelligunt, quia intellectu carent. *l. 1. §. 3. ff. ſi qvadr. paup. fec. dic.*

§ 69. Nec obſtat, quando dicitur, canes ita poſſe informari, ut literis Alphabeticis pronunciantis ad auditum literæ S. fruſtulum panis naſo ipſorum impoſitum in altum projiciant, atque ex alto ore excipiant.

§. 70. Hoc, inquam, non obſtat. Nam hoc non eſt in intellectu, ſed ex aſſvefactione audituque, bruta auditum habent, non autem intellectum, & ideò convenientiam & disconvenientiam actionum cum lege naturali non intelligunt.

§. 71. Non obſtat, qvando dicitur, ſi homo cum bruto concubitum habuit, & peccatum ſodomiticum commiſit, homo unà cum bruto igni eſſe comburendum, uti praxis teſtatur quotidiana. Eo ipſo autem dum brutum unà cum homine comburitur & igne concrematur, conſequens eſt, ut delictum committere poſſit, quia pœna præſupponit delictum, tanquam effectus cauſam.

§. 72. Hoc, inquam, non obſtat. Nam brutum igne è medio tollitur, non quòd delictum commiſerit, ſed ut delicti memoria ab homine commiſſo cum bruto aboleatur, ne recordatio ejus in bruto remaneat.

§. 73. *VII.* Cœlum, qvia eſt res inanimata, quæ omni intellectu caret, ſicut brutum. *l. 1. §. 3. ff. ſi qvadr. paup. fec.*

§. 74.

§. 74. Nec obſtat *Pſ. 19. v. 1.* ubi dicitur : Cœlum enarrare gloriam Dei, & firmamentum denunciare opera manuum ejus. Eo ipſo autem dum cœlum enarrare poteſt gloriam Dei, conſequens eſt, ut intellectum & rationem habeat, qvò gloriam Dei intelligere & eam enarrare poſſit, & ſi cœlum fulmine, fulgure, chasmate vel uredine damnum dat, ſequitur, ut delictum commiſerit; qvia intellectum habere intelligitur.

§. 75. Hoc, inquam, non obſtat. Nam cœlum enarrat gloriam Dei, non ex uſu intellectus & ex lumine naturæ ſuæ, ſed tantùm objectivè, dum cœlum ſe nobis tanquam objectum contemplandum præſentat & ſiſtit, & dum homo cœlum tanquam objectum contemplatur, & tanquam opus magnum & inperſcrutabile conſiderat, cœlum ipſi omnipotentiam, incomprehenſibilem ſapientiam contemplanti objectivè oſtendit, & ſic ipſi gloriam Dei enarrat, ut contemplator fateri teneatur, opificem cœli & firmamenti eſſe magnum, omni gloriâ afficiendum, & ſolum Deum.

§. 76. Materia delicti vulnerati circa quam eſt corpus animatum. Nam delictum vulnerativum occupatum eſt circa corpus animatum, vulnus ipſi infligendo.

§. 77. Delictum vulnerativum committi poteſt (1.) in hominem liberum. *§. 3. I. de injur.* (2.) In furioſum. *l. 1. §. 3. ff. de injur.* (3.) In infantem & pupillum infantiæ proximum. *l. 3. §. 1. ff. eod.* (4.) In mente captum. *l. 3. §. 1. ff. eod.* (5.) In volentem qvoad ſubſtantiam delicti. Nam ſi quis voluntate virginem rapit & libidinis explendæ causâ in alium locum deducit, delictum raptus in virginem volentem committit. *l un. §. 2. C. de rapt. virgin.* ibi : *Sive volentibus, ſive nolentibus virginibus.* Sic : Si quis hominem vulneratum, qui ex impatientia dolorum commilitones rogat & petit, ut ſe interficiant, & ſic finem vitæ & dolorum accelerent, & unus ex commilitonibus ejus rogatu & voluntate ipſum telo vel gladio transfodit, ut moriatur, delictum homicidii quoad ſubſtantiam delicti committit, quia ſangvinem humanum fundit animô occidendi. *l. 1. §. 3. ff. ad Leg. Corn. de Sic.* & licet cædem rogatu & voluntate occiſi admiſerit, tamen inde excuſari non poteſt, quia occiſus non eſt dominus membrorum ſuorum, & non poteſt velle, ut interficiatur & membra ſua corrumpantur.

l. 13.

l. 13. pr. ff. ad Leg. Aquil. (6) In ſervum, quia ſervus æqvè habet ſangvinem, ac homo liber. Geneſ. 9. verſ. 6.

§. 78. Delictum vulnerativum committi non poteſt (1.) in rem inanimatam. Nam res inanimata carne & ſangvine carens non poteſt dici vulnerari, ſed, ſi in ea re damnum datur, dicitur frangi, rumpi, confundi, uri, inqvinari. l. 27. §. 6. 7. 8. 20. 31. ff. ad Leg. Aquil. (2.) In volentem qvoad effectum agendi. Nam ſi quis volenti injuriam infert, is, qui volens injuriam paſſus eſt, actione injuriarum agere non poteſt. Nam qui damnum culpâ ſentit, ſentire non intelligitur. l. 203. ff. de R. J. Et dolus volentibus inferri non poteſt, & ſi volentibus infertur, fruſtrà de dolo qveruntur. l. 34. C. de tranſact. l. 9. §. 1. ff. de aqva & aqva pluv. arc.

§. 79. Delictum vulnerativum committere non debet (I.) homo liber in ſeipſum. l. 3. ff. de bon. eor. qui ant. ſent. (II.) Servus in ſe ipſum, quia nemo membrorum ſuorum eſt dominus. l. 13. ff. ad Leg. Aquil. Nec obſtat l. 9. §. 7. ff. de pecul. ubi expreßè dicitur, ſervis naturaliter licere in ſuum corpus ſævire. Hoc, inquam, non obſtat. Nam vox Naturaliter, in d. l. non notat jus naturale, ut ſenſus ſit: Servus jure naturali in corpus ſuum ſævire poteſt, ſed ponitur pro natura rerum, ut ſenſus ſit: Dominus per rerum naturam ſervum prohibere non poteſt, qvò minùs de facto contra jus naturale in corpus ſuum ſæviat, atque ſe ipſum vulneret. Et ſic ſervo naturaliter, hoc eſt, per rerum naturam, dum Dominus per rerum naturam inhibere non poteſt & præcavere, ſi ſervus ſe ipſum vulnerare, & in corpus ſuum ſævire vellet, in corpus ſuum ſævire licet.

§. 80. Forma delicti vulnerati eſt τὸ vulnerando commiſſum. l. 27. §. 17. ff. ad L. Aqvil. Nam id, qvod in definitione eſt differentia ſpecifica, ſemper eſt forma definiti.

§. 81. Finis delicti vulnerativi eſt bonum apparenter tale. Nam omnis agens agit propter bonum & eligit malum ſub ratione boni. Ariſtot. 1. Ethic. c. 4.

§. 82. Effectus delicti vulnerativi eſt I. actio L. Aquiliæ de vulnerato (1.) ſi vulneratus in vivis manet. l. 15. ff. ad L. Aqvil. (2.) ſi vulneratus non penitus mortiferè, poſteà alio caſu ſine culpa vulnerantis mortuus eſt. l. 13. §. 8. l. 30. §. 4. ff. ad L Aquil.

Aqvil. [3.] ſi qvis non penitus mortifere vulneratus, poſtea ab alio occiſus eſt. *l. 51. ff. ad L. Aqv.* (4.) ſi qvis falſo fatetur occidiſſe eum, qvem ſaltim vulneravit. *l. 25. ff. ad L. Aqvil.*

§. 83. *II.* Actio L. Aqviliæ de occiſo (1.) ſi mortifere vulneratus confeſtim ex illo vulnere mortuus eſt. *l. 46. ff. ad L. Aqvil.* (2.) ſi mortifere vulneratus poſtea de vulnere periit. *l. 15. eod.* (3.) ſi mortifere vulneratus, ex qvo certum eſt, eum eſſe moriturum, licet ab alio poſtea ſit exanimatus. *l. 51. ff. ad L. Aqvil.*

§. 84. *III.* Accuſatio legis Corneliæ, ſi qvis hominem læthaliter vulnerando occidit. *l. 1. ff. ad Leg. Corn. de ſic.* Nec attendendus certus dierum numerus, qvos dies Criticos vocant, eſt propter diverſitatem temporis, naturæ, partium nobiliorum & ſimpliciter ad vitam neceſſariarum, ætatis, & ſexus, latiſſime *de ration. vuln. l. 4. c. 10.* tractant *Fort. Fidel. Paul. Zacch. in Quæſt. Medico-Legal. l. 5. t. 2. q. 6. n. 22. & 23. Hippocrat. in ſecundo Prædictionum, in ſexto aphariſmorum & in Coacis Prænotionibus. Diſput. noſtra Helmſtadii habita A. 1679. de die Critico vulnerum & percuſſionum lethalium.* quæ videri poſſunt.

§. 85. *IV.* Reſtitutio damni cum intereſſe extrinſeco. *l. 27. §. 5. 17. l. 22. §. 1. l. 25. §. 2. l. 23. §. 2. pr. l. 34. 35. 36. l. 55. ff. ad L. Aqvil.*

§. 86. *V.* Reſtitutio fructuum, operarum, qvibus vulneratus ob delictum vulnerativum caruit & cariturus eſt. *l. 33. ff. ad L. Aqvil.* v. inf. t. 2. §. 28.

§. 87. *VI.* Reſtitutio ſumptuum in curatione factorum. *l. 7. pr. l. 33. ff. ad L. Aqvil.*

§. 88. *VII.* Solutio pecuniæ doloris. Schmertzgeld. Nam licet corpus liberum nullam recipiat æſtimationem, tamen corporis dolores æſtimari poſſunt, qvia ſenſu percipiuntur, ex qvo qvilibet æſtimare & dicere poteſt, ſe potius tot vel tot Imperialibus ex patrimonio ſuo carere velle, qvam iterum ejusmodi dolores corporis ſentire. Cum autem omne damnum culpa datum reſarciendum ſit, ideo etiam damnum corporibus ex doloribus enatum in computationem intereſſe venire debet. *l. 5. §. 1. ff ad L. Aqv.*

§. 89. *VIII.* Solutio pecuniæ expiationis. Sühnegeld Nam ſi liber homo occiſus eſt, licet liberum ejus corpus ſit inæſtimabile,

C tamen

tamen damnum extrinſecus ita datum reſtitui debet, *l.* 13. *pr. l.* 33. *ff. ad L. Aqvil.*

§. 90. *IX.* Pœna, Nam ſi qvis delictum vulnerativum commiſit pro qvalitate delicti pœnam luere tenetur. *de qvo tit.* 1.

§. 91. Accidentia qvibus delictum vulnerativum committi poteſt ſunt multa, Nam delictum vulnerativum committitur, [1.] ſi qvis ſine propoſito nocendi vulnerat. *l.* 5. §. 1. *ff. ad L. Aq.*

§. 92. Accidentia delicti vulnerativi qvalificata ſunt duo: Nam delictum vulnerativum eſt vel leve vel grave, *l.* 7. §. 7. *ff. de injur.*

§. 93. Accidentia delicti vulnerativi externa ſunt multa, Nam delictum vulnerativum concurrit (*I.*) cum delicto legis aqviliæ. *l.* 3. *ff. ad L. Aqv.* Nam ſi qvis hominem vulneravit & ei damnum inde dedit, ut in curationem ſumptus facere debuerit, delictum vulnerativum concurrit cum delicto Legis Aqviliæ *l.* 15. §. 1. *l.* 30. §. 4. *ff. ad L. Aqv. l.* 2. §. 6. *ff. de privat. del.*

§. 94. *II.* Cum delicto injuriarum, Nam ſi qvis hominem animo contumelia afficiendi vulneravit, delictum vulnerativum concurrit cum delicto injuriarum, *l.* 5. *pr. ff. de injur.*

§. 95. *III.* Cum delicto legis Corneliæ de ſicariis, Nam ſi qvis hominem animo occidendi lethaliter vulneravit, ut mortuus fuerit, delictum vulnerativum concurrit cum delicto Legis Corneliæ de ſic. *l.* 1. *ff. ad Leg. Corn. de ſic.*

§. 96. *IV.* Cum homicidio inculpatæ tutelæ, Nam ſi qvis aggreſſorem, dum in periculo mortis conſtitutus eſt, ita, ut vitam ſuam aliter conſervare neqveat, niſi morte aggreſſoris, vulnerando occidit, delictum vulnerativum concurrit cum homicidio inculpatæ tutelæ. *l.* 3. *ff. de J. & J. l.* 1. *C. unde vi.*

§. 97. *V.* Cum homicidio culpatæ tutelæ, Nam ſi qvis aggreſſorem, cui cauſam aggrediendi dedit extra periculum mortis vulnerando occidit, delictum vulnerativum concurrit cum homicidio culpatæ tutelæ, *Conſt. Carol. art.* 140.

§. 98. *VI.* Cum infanticidio. Nam ſi qvis infantem ſuum vulnerando occidit, delictum vulnerativum concurrit cum infanticidio. §. 6. *J. de publ. jud.*

§. 99. Accidentia delicti vulnerativi deſtructiva ſunt nulla, Nam

Nam ſi ſemel delictum vulnerativum commiſſum eſt, qvoad ſub-
ſtantiam facti tolli & extingvi non poteſt. Si qvidem factum in-
fectum fieri neqvit. *l. 31. ff. de R. J. l. unic. C. de rapt. virg.*

§. 100. Delictum vulnerativum eſt duplex: Doloſum & cul-
poſum. *l. 7. ff. ad Leg. Corn. de ſic.*

§. 101. Delictum doloſum eſt delictum animo nocendi vel
occidendi commiſſum. *l. 1. §. 3. ff. ad Leg. Corn. de ſic. l. 7. ff. eod.*
l. 1. l. 5. C. eod.

§. 102. Delictum doloſum eſt duplex; Dolo animo occiden-
di & dolo animo nocendi commiſſum. *l. 1. §. 3. ff. ad Leg. Corn. de*
ſic. l. 1. l. 5. C. eod.

§. 103. Delictum doloſum dolo animi occidendi commiſ-
ſum eſt delictum doloſum excellenter ſic dictum. *l. 1. §. 3. ff. ad Leg.*
Corn. de ſic.

§. 104. Delictum doloſum dolo animi nocendi commiſſum
eſt delictum doloſum ſine animo occidendi commiſſum. *l. 1. l. 5*
ff. ad L. Corn. de ſic.

§. 105. Delictum culpoſum eſt delictum damnum qvod evi-
tari poteſt & debet ſine animo nocendi inferendo commiſſum.
l. 7. ff. ad L. Corn. de ſic. l. 1. §. 1. l. 7. §. 2. l. 8. pr. §. 1. l. 29. §. 2. &
l. 44. l. 52. §. 1. ff. ad L. Aqvil.

§. 106. Culpa (in foro civili) eſt actus moralis damnum
qvod evitari poteſt ac debet, ſine animo nocendi inferens, *l. 7. ff.*
ad L. Corn. de ſic.

§. 107. Notanter dico moralis. Nam actus moralis conſi-
ſtit non tantum in faciendo, ſed etiam in omittendo, ſi qvidem is,
qvi omittit, id qvod facere debet, moraliter agere dicitur. *Rom. 2.*
verſ. 21. l. 7. §. 1. l. 8. pr. l. 27. §. 9. l. 52. pr. ff. ad L. Aqvil.

§. 108. Culpa (in foro poli) eſt actus moralis à lege natura-
li aberrans, licet damnum non fuerit datum. *Rom. 1. verſ. 21.*

§. 109. Delictum vulnerativum æqvivocè eſt duplex; Ca-
ſuale vel non caſuale.

§. 110. Delictum vulnerativum caſuale eſt delictum ſine cul-
pa hominis caſu commiſſum. *l. 28. pr. ff. ad L. Aqvil.*

§. 111. Delictum caſuale eſt duplex; Merè caſuale & caſuale
cum hominis culpa conjunctum. *l. 28. ff. ad L. Aqvil. l. 1. §. 3. ff. ad*
L. Corn. de ſic.

§. 121.

§. 112. Delictum merè caſuale eſt delictum ſine ulla hominis culpa caſu fortuito commiſſum *l. 28. pr. ff. ad L. Aquil.*

§. 113. Delictum caſuale mixtum eſt delictum caſuale caſu fortuito cum hominis culpa conjuncto commiſſum. *l. 1. §. 3. ff. ad L. Corn. de ſic.*

§. 114. Delictum vulnerativum non Caſuale eſt delictum doloſum vel culpoſum. *l. 1. §. 3. l. 7. ff. ad L. Corn. de ſic.*

Tit. II.

De

POENIS DELICTI VULNERATIVI.

§. 1.

IS qvi hominem animo occidendi lethaliter vulnerando occidit pœna mortis eſt afficiendus. *l. 1. §. 3. l. 7. l. 16. ff. ad L. Corn. de ſic. l. 1. l. 5. l. 9. l. 24. C. eod.*

§. 2. Ad hoc ut reus homicidii, qvi hominem animo occidendi lethaliter vulnerando occidit pœna mortis ſit afficiendus reqviritur.

§. 3. *I.* Ut de animo occidendi ſit convictus & condemnatus. Nam ſi reus homicidii de animo occidendi nondum eſt convictus, & condemnatus, pœna mortis non eſt afficiendus. *l. 16. C. de pœn. l. 25. C. de probat.*

§. 4. *II.* Ut homicidium non ad ſui defenſionem admiſerit. Nam ſi reus homicidium ad ſui defenſionem commiſit cum moderamine inculpatæ tutelæ, pœna mortis non eſt afficiendus. *l. 3. ff. de J. & J. l. 2. C. unde vi. Conſt. Carol. art. 140.*

§. 5. *III.* Ut homicidium commiſerit lege non permittente. Nam ſi hominem occiderit lege permittente pœna mortis non poteſt puniri. *l. 9. ff. ad L. Corn. de ſic.*

§. 6. *IV.* Ut hominem occiderit animo occidendi ex vindicta privata. Nam ſi hominem occiderit animo occidendi ex vindicta publica pœna mortis non eſt afficiendus. *l. 13. §. 1. & 6. ff. de injur. l. 33. ff. eod.*

§. 7. V.

§. 7. *V.* Ut vulnus fuerit lethale. Nam ſi reus hominem animo occidendi occidit, ſed vulnus non fuit lethale, pœna mortis non eſt afficiendus. *l.* 15. § 1. *l.* 30. §. 4. *ff. ad L. Aqvil.*

§. 8. *VI.* Ut telum, qvo homo occiſus eſt, fuerit per ſe lethiferum. Nam ſi telum, qvo homo occiſus eſt, per ſe non fuerit lethiferum, reus homicidii pœna mortis non eſt afficiendus. *l.* 1. §. 3. *ff. ad L. Corn. de ſic.*

§. 9. *VII.* Ut actus, qvo homo occiſus eſt, per ſe ſit mortiferus. Nam ſi qvis hominem in crura pungere intendat, occiſus autem gladium ſuo gladio attollit, ut in inteſtina feratur & moriatur, pœna mortis non eſt afficiendus, qvia actus per ſe non fuit lethiferus & caſu magis, qvàm voluntate homicidium eſt commiſſum. *l.* 1. §. 3. *ff. ad L. Corn. de ſic.*

§. 10. *VIII.* Ut de corpore delicti conſtet. Nam ſi de corpore delicti nondum conſtat, reus homicidii, licet illud confeſſus fuerit, tamen pœna mortis non eſt afficiendus. *l.* 23. §. 11. *l.* 24. *l.* 25. *ff. ad L. Aqvil.*

§. 11. Animus verò occidendi probatur (1.) ex armis per ſe lethiferis ſeu mortiferis; *l.* 1. §. 3. *ff. ad L. Corn. de ſic. l.* 1. *C. de emend. ſerv. l.* 6. §. 6. *de re milit. Num.* 35. *verſ.* 16. 17. 18.

§. 12. *I.* Arma autem per ſe mortifera ſunt gladius, ſica ſeu pugio, haſta, framea, rumphæa, culter, malleus, ſecuris, clava, ligo, ſclopetum, bombarda, ſagitta, ingens lignum, lapis magnus, bipennis &c. *l.* 1. §. 3 *ff. ad L. Corn. de ſic. l.* 3. §. 2. *ff. de vi & vi arm. Num.* 35. *verſ.* 16. 17. 18. §. 5. *J. de publ. jud. c.* 10. *X. de homic.*

§. 13. Nec obſtat. *l.* 1. §. 3. *ff. ad L. Corn. de Sic. ibi*: qvamvis ferro percuſſerit. Nam ferrum in d. l. non ponitur pro gladio & forma inſtrumenti, ſed pro materia, ut ſenſus ſit: Et ſi qvis clavi hominem percuſſerit, cucuma ex ferro confecta (mit einem Schlüſſel oder eiſern Tiegel) tamen non præſumitur animo occidendi percuſſiſſe, qvia inſtrumentum qvo percuſſit, per ſe non eſt mortiferum.

§. 14. *II.* Ex actu per ſe mortifero. *l.* 1. *C. de emendat. ſervor. l.* 7. § 1. *ff. ad L. Aqvil. l.* 3 §. 2. *ff. de vi & vi arm. c.* 18. *X. de homic.*

§. 15. Actus per ſe mortiferi ſunt (1.) ſi qvis laqveo gulam

 ſtran-

ſtrangulat. *l. 7. §. 1. ff. ad L. Aqvil.* (2.) ſi qvis gladio pectus pungere intendit. *Num. 35. verſ. 17.* (3.) ſi qvis ligno magno tempora cædere ſtudet. *Num. 35. verſ. 17.* [4.] Si qvis lapide magno caput ſæpè percutit. *Num. 35. verſ. 17. c. 18. X. de homicid.* [5.] ex actu per ſe non mortifero, ſed ſæpe iterato. *Num. 35. verſ. 17. c. 18. X. de hom.*

§. 16. Animus non occidendi præſumitur I. ex armis per ſe non mortiferis. *l. 1. §. 3. ff. ad L. Corn. de Sic.*

§. 17. Arma per ſe non mortifera ſunt: clavis, cucuma. *l. 1. §. 3. ff. ad L. Corn. de ſic.* pugnus *l. 27. §. 2. ff. L. Aquil.* Lapis parvus. *l. 6. §. 6. ff. de re milit. c. 22. X. de homic.* baculus. *l. 1. C. de emendat. ſerv.* Manus. Virga. lorum. *l. 1. C. eod.*

§. 18. *II.* Ex occiſi qvalitate. Si qvis amicum familiarem, cognatum, conſangvineum, affinem occiderit contra qvem nullum odium habuit. *Deut. 19. verſ. 4. 5. 6. l. 1. C. ad Corn. de Sic. c. 6. X. de homic.*

§. 19. *III.* Ex actu per ſe non lethifero. *c. 10. X. de hom.*

§. 20. Actus per ſe non lethiferus eſt. (1.) ſi qvis gladio crura pungere tendat. *c. 18. X. de homic.* (2.) Si qvis brachium cædere aut pungere tendat. *c. 18. X. eod.* (3.) Si qvis bombarda per feneſtras in hypocauſtum vel cubiculum eo tempore, qvo homines ineſſe non ſolent, explodendo hominem occidit. *c. 18. X. de hom.* (4.) Si qvis alteri manu contracta (mit voller Fauſt) colaphum infligendo eum occidit, animo occidendi interfeciſſe non præſumitur (1.) qvia manus contracta non eſt genus armorum per ſe mortiferum. *l. 1. §. 3. ff. ad L. Corn. de ſic.* (2.) quia actus percutiendi non eſt per ſe lethiferus. *Num. 35. verſ. 16. 17. c. 18. X. de hom.*

§. 21. Is, qvi hominem animo nocendi tantum ſine animo occidendi lethaliter vulnerando necavit, pœna mortis non eſt afficiendus, ſed alia mitiori

§. 22. *I.* Quia ſine animo occidendi tantum hominem occidit, à pœna homicidii ordinaria abſolvendus eſt. *l. 1. §. 3. ff. ad L. Corn. de ſic. ibi:* Divus Hadrianus reſcripſit, eum, qvi hominem occidit, ſi non occidendi animo hoc admiſit, abſolvi poſſe.

§. 23. *II.* Qvia ſi non occidendi animo hominem clavi percuſſe-

cuſſerit & homo mortuus eſt, ejus pœna eſt lenienda. *l. 1. §. 3. ff. eod.* ibi: Sed ſi clavi aut cucuma percuſſit in rixa, qvamvis ferro, percuſſerit, tamen non occidendi animo, leniendam pœnam ejus.

§. 24. *III.* Qvia ſi hominem ſine animo occidendi in rixa lethaliter vulnerando occidit, caſu magis qvam voluntate homicidium committit. *l. 1. §. 3. ff. eod.* ibi; qvi in rixa caſu magis qvam voluntate homicidium admiſit.

§. 25. *IV.* Qvia ſi hominem non occidendi animo ſed nocendi lethaliter vulnerando occidit, & ſic dolo cauſam mortis præbuit, pœna mortis non eſt afficiendus, ſed pœna leniori & arbitraria. Nam ſi homicidium ſine dolo animi occidendi eſt commiſſum, licet dolo animi nocendi, aut lata culpa, coërcitione Legis Corn. de ſic. non eſt puniendus. *l. 7. ff. ad L. Corn. de ſic.* ibi; In lege Corn. dolus pro facto nec in hac lege culpa lata pro dolo accipitur, qvare ſi qvis ex alto ſe præcipitaverit & ſuper alium venerit eumq; occiderit: aut putator juxta viam ex arbore, cum ramum dejiceret, non præclamaverit & prætereuntem occiderit, ad hujus legis pœnam non pertinet. Hoc eſt: Is ex Lege Corn. pœna mortis ſeu pœna Legis Corn. ordinaria eſt afficiendus, qvi hominem dolo animi occidendi occidit, qvia dolus in lege Corn. ponitur pro facto, hoc eſt, pro animo occidendi. *l. 1. §. 3. ff. ad L. Corn. de ſic.* Verum is, qvi animo nocendi aut culpa lata ſine animo nocendi hominem occidit, pœna mortis ſeu pœna Legis Corn. ordinaria non eſt afficiendus, qvia lata culpa in lege Corn. non æqviparatur dolo. Hinc licet qvis animo nocendi vel culpa lata cauſam mortis præbuerit, tamen pœna legis Corn. non eſt afficiendus. Itaq; ſi qvis arborem amputat juxta viam & ramum dejiciendo, dum non præclamavit & prætereuntes admonuit, ut ſibi caveant & proſpiciant, ne caſu ramorum lædantur, hominem prætereuntem occidit, licet animo nocendi hoc fecerit aut lata culpa, dum prætereuntes non admonuerit, cum admonere potuerit, tamen pœna Legis Corn. ordinaria non eſt afficiendus.

§. 26. *V.* Qvia ſi hominem ſine animo occidendi ſed ſaltem animo nocendi lethaliter vulnerando interfecit, pœna homicidii ordinaria ipſi eſt remittenda. *l. 1. C. ad L. Corn. de ſic.* ibi: Frater veſter rectius fecerit, ſi ſe præſidi provinciæ obtulerit. Qvi ſi pro-

baverit,

baverit, non occidendi animo hominem à ſe percuſſum eſſe, remiſſa homicidii pœna ſecundum diſciplinam militarem ſententiam proferet. Crimen enim contrahitur ſi & voluntas nocendi intercedat. Cæterum ea, qvæ ex improviſo caſu potius, qvam fraude accidunt, fato plerunq; non noxæ imputantur. Hoc eſt; Is, qvi hominem non animo occidendi vulnerando occidit, pœna mortis non eſt afficiendus, ſed mitiori ſecundum leges militares. Verum ſi animo nocendi hominem vulnerando occidit, pœna extraordinaria eſt plectendus; qvia crimen contrahitur, & homicidium doloſum committitur, ſi voluntas nocendi intercesserit, licet animus occidendi non intervenerit. Sin autem ſine animo occidendi & animo nocendi, imo ſine omni culpa, ſed caſu fortuito ex improviſo hominem occidit, nulla pœna eſt afficiendus, qvia ejusmodi homicidium caſuale fato eſt imputandum, non culpæ hominis. *l. 5. C. ad L. Corn. de ſic.* ibi: Eum qvi aſſeverat, homicidium ſe non voluntate, ſed caſu fortuito feciſſe, cum calcis ictu mortis occaſio præbita videatur, ſi hoc ita eſt, neq; ſuper hoc ambigi poterit omni metu & ſuſpicione, qvam ex admiſſæ rei diſcrimine ſuſtinet, ſecundum id, qvod annotatione noſtra comprehenſum eſt, volumus liberari. Hoc eſt; Is, qvi hominem ſine animo occidendi, ſed animo nocendi lethaliter vulnerando interfecit, pœna mortis non eſt afficiendus, ſed mitiori, qvia licet cauſam mortis præbuerit, tamen dum mors non intentione & voluntate, ſed caſu fortuito acciderit, pœna ordinaria haud habebit locum.

§. 27. Nec obſtat I. qvando dicitur, is, qvi percutit hominem ſolum animo vulnerandi, ſed non animo occidendi, æq; in dolo eſſe, atq; is, qvi hominem animo occidendi vulnerat. Hoc, inqvam, non obſtat. Nam eſt qvidem in dolo animi nocendi, ſed non eſt in dolo animi occidendi. Is autem, qui eſt in dolo animi nocendi tantum, pœna legis Corn ordinaria non eſt afficiendus. *l. 1. §. 3. l. 7. ff. ad L. Corn. de ſic. l. 1. l. 5. C. eod.*

§. 28. Non obſtat II. qvando Dominus Carpz. dicit, eum, qvi dat operam rei illicitæ, teneri de omni eo qvod ſeqvitur præter illius intentionem & voluntatem. Hoc, inqvam, non obſtat. Nam is, qvi dat operam rei illicitæ, non tenetur qvoad pœnam ordinari-

dinariam de omni eo, qvod inde ſecutum eſt. Etenim etiamſi qvis operam rei illicitæ dederit atq; cauſam mortis præbuerit, tamen ſi præter ejus intentionem & voluntatem mors ſecuta fuerit, mortis pœna non eſt afficiendus, ſed pœna mitiori, *l.* 1. *§.* 3. *l.* 7. *ff. ad L. Corn. de Sic, l.* 1. *l.* 5. *C. eod.* Verum is, qvi operam rei illicitæ dat, tenetur qvoad damni reſtitutionem de omni damno, qvod inde ſecutum eſt. Nam in damnis datis cauſa cauſæ eſt etiam cauſa cauſati, *l.* 33. *ff. ad L. Aqvil.* Hinc ſi homo vulneratus & occiſus eſt homicida, licet non intenderit mortem ejus, aut curationem, aut carentiam fructuum, operarum, vel damnum cicatricum, aut dolores corporis aut damnum cauſa rei cohærentis, tamen de hiſce omnibus tenetur, ut non tantum æſtimationem corporis occiſi, ſi ſervus fuerit, ſolvere, ſed etiam ſumptus in curationem factos reſtituere, fructus operarum, qvibus qvis ob vulnerationem caruit aut cariturus eſt, præſtare, & damnum rei cohærentis ſolvere tenetur, *l.* 21. *§.* 1. *l.* 22. §. 1. *l.* 5. §. 1. *l.* 23. *§.* 6. *l.* 33. *ff. ad L. Aqvil. Exod.* 21. *verſ.* 19. v. ſupr. tit. 1. *§.* 86.

§. 29 Nec obeſt III. *l.* 6. *C. ad L. Jul. de vi publ. & priv.* ubi expreſſè dicitur, eum, qvi armatis hominibus poſſeſſionem alicujus invaſit & cauſam mortis præbuit, licet ipſe in effectum mortis non influxerit, nec animum occidendi, ſed ſaltem animum poſſeſſorem è poſſeſſione expellendi habuerit, tamen pœnæ mortis eſſe afficiendum. Hoc, inqvam, non obſtat. Nam is, qvi vim publicam armis facere tentaverit, præſumitur præſumptione juris & de jure, qvæ vim legis habet, & probationem in contrarium non admittit, animo occidendi vim facere tentaſſe. *Num.* 35. *verſ.* 18. *l.* 1. *§.* 3. *ff. ad Leg. Corn. de ſic. l.* 1. *C. de emend. ſervor.*

§. 30. Nec obſtat IV. qvando dicitur voluntatem indirectè & per accidens ferri in homicidium, ſi fertur in id, qvod immediatè & per ſe non per accidens homicidium ſeqvitur. Hoc, inqvam, non obſtat. Nam eo ipſo dum is, qvi animo nocendi ſaltem hominem vulnerat, & ſic per indirectum & per accidens mors ſecuta fuerit, pœna mortis non eſt afficiendus, qvia mors non ex animo occidendi, ſed caſu per accidens & præter intentionem fuerit ſecuta, & ſic non vulneranti, ſed caſui & fato eſt adſcribenda, & ideò tali vulnerans modo, pœna mortis non eſt afficiendus, ſed

mitiori & extraordinaria. *l. 1. §. 3. l. 7. ff. ad Leg. Corn. de Sic. l. 1. l. 5. C. eod.*

§. 31. Nec obſtat V. *c. 5. X. de homic. in 6.* ubi expreſſe legitur, eum, qvi mandat, aliqvem verberari, licet expreſſe inhibeat, ne occidatur, ſi mandatarius fines mandati excedens occidit, mandando in culpa homicidii eſſe, dum evenire poſſe cogitare debuiſſet. Hoc, inqvam, non obſtat. Nam in dicto textu non legitur, mandatorem, qvi animo nocendi, ſed ſine animo occidendi hominem verberari juſſit, ſi mandatarius occidit, pœna mortis eſſe afficiendum, ſed tantum in culpa homicidii eſſe dicitur. Is autem qvi animo nocendi ſed ſine animo occidendi in culpa homicidii eſt, pœna mitiori & extraordinaria eſt plectendus. *l. 1 §. 3. l. 7. ff. ad L. Corn. de ſic. l. 1. l. 5. C. eod.*

§. 32. Nec obſtat VI. *l. 38. §. 5. ff. de pœn.* ubi: mulier, ſi alicui poculum amatorium dedit, non eum in finem, ut hominem inde enecet, ſed amorem duntaxat ejus ſibi conciliet, ſi homo inde periit, pœna mortis eſt afficienda. Hoc, inqvam, haud obſtat. Nam mulier, qvæ poculum dedit amatorium, pœna mortis eſt mulctanda, non ex eo, qvod, licet ſine animo occidendi operam rei illicitæ dederit & cauſam mortis præbuerit, ſed ex eo, qvia poculum amatorium eſt res mali exempli, & ideò ut homines eo facilius & eo magis deterreantur, ultimum ſupplicium, ſi mors inde ſeqvitur, eſt ſtatutum. Pœna autem qvæ contra rationem juris ſtatuta eſt, non eſt producenda ad conſeqventias, dum in his, qvæ contra rationem juris ſtatutæ ſunt, non poſſumus ſeqvi regulam juris. *l. 14. l. 15. ff. de L. L. §. 6. J. de J. N. G. & C.*

§. 33. Nec obſtat VII. *l. 15. ff. ad L. Corn. de ſic.* ubi, nihil intereſſe, occidat qvis, aut cauſam mortis præbeat, dicitur. Hoc, inqvam, non obſtat. Nam non reperitur ſtatutum, ut is, qvi animo nocendi ſine animo occidendi, ſed duntaxat dolo animi nocendi aut culpa levi vel lata hominem occidit, æqvè pœna mortis ſit puniendus atq; is, qvi hominem animo occidendi occidit. Sed d. l. loqvitur tantum de damno dato & dicit, ſiqvis damnum occidendo dedit, aut cauſam mortis præbuit, nullam differentiam eſſe faciendam, ſed eum, qvi cauſam mortis præbuit, de omni damno inde ſecuto teneri atq; eum, qvi damnum occidendo dedit.

Nam

Nam in damno dato etiam cauſa cauſæ eſt cauſa cauſati, *l. 33. ff. ad L. Aqvil.* Aſt is, qvi ſine animo occidendi cauſam mortis præbuit, de morte & ejus pœna ordinaria, qvæ inde ſeqvitur, non tenetur, dum cauſa cauſæ non eſt cauſa cauſati in pœna mortis ordinaria. Siqvidem in pœna mortis ordinaria reqviritur dolus animi occidendi, nec ſufficit dolus animi nocendi, multo minus culpa lata aut levis, *l. 1. §. 3. l. 7. ff. ad L. Corn. de ſic. l. 1. l. 5. C. eod.*

§. 34. Nec obſtat VIII. *art. 137. Conſt. Crim. Car.* ubi hæc leguntur verba. Ein jeder Mörder oder Todtſchläger/ wo er deßhalben nicht rechtmäſſige Urſachen führen kan/ hat das Leben verwürcket. Hoc, inqvam, non obſtat. Nam lex generaliter & indiſtinctim loqvens, reſtrictive & limitative eſt interpretanda, ſi alia lex cauſam legis ſeu pœnam mortis reſtringit ad eum, qvi animo occidendi hominem occidit. Etenim lex ex lege priori vel poſteriori eſt explicanda, dum leges priores ad poſteriores ſunt trahendæ & poſteriores ad priores pertinent, niſi ſibi invicem contrariati videantur, *l. 26. l. 27. l. 28. ff. de L. L.* Poſito igitur, ſed nō conceſſo, qvod dictus articulus generaliter loqvatur, tamen reſtrictivè eſſet intelligendus tantum de eo homicida, qvi animo occidendi hominem occidit, qvia priores leges, qvæ ante Conſtitutiones Caroli V. in corpore juris continentur, expreſſè volunt, ut is homicida duntaxat pœna mortis ſit plectendus, qvi animo occidendi occidit. *l. 1. §. 3. l. 7. ff. ad L. Corn. de ſic. l. 1. l. 5. C. eod.* Deinde *d. art. 137.* non loqvitur generaliter, ſed reſtrictivè de eo homicida, qvi animo occidendi hominem occidit, dum dicit, cum pœna mortis non eſſe afficiendum, qvi juſtam habet accuſationem. Is autem juſtam excuſationem habet, qvi ſine animo occidendi, ſed culpa lata vel levi cauſam mortis præbuit, *l. 1. §. 3. l. 7. ff. ad L. Corn. de ſic. l. 1. l. 5. C. eod.*

§. 35. Nec obſtat IX. *art. 140. Conſt. Carol. Crim.* ubi hæc habentur verba: So etliche Perſohnen mit fürgeſetzten und vereinigten Willen und Muth jemand böߧlich zu ermorden/ einander Hülff und Beyſtand thun/ dieſelbigen alle haben das Leben verwürckt. So aber etliche Perſohnen ungeſchickt in einem Schlagen oder Gefecht beyeinander wären/ einander helffen/ und jemand alſo ohne erhebliche Urſachen erſchlagen würden/ ſo man denn den rechten Thäter weiß/

 von

von deſſen Händen die Entleibung geſchehen iſt / der ſoll als ein Todſchläger mit dem Schwerd zum Tode geſtrafft werden. Hoc, inqvam, non obſtat. Nam d. artic. loqvitur (1.) de animo occidendi ex deliberata & conjurata voluntate occidendi. (2.) de animo occidendi non ex liberata & conjurata voluntate, ſed in rixa & confuſione conflictus concepta voluntate occidendi & auxilio mutuo ad occidendum præſtito. Nam dicit, ſi is manifeſtus eſt, cujus manu homicidium in rixa eſt commiſſum, pœna mortis eſt afficiendus, ſcilicet in periculo mortis non conſtitutus aggreſſorem occidere non debuit, ſed extra periculum mortis animo occidendi in rixa & confuſione conflictus hominem occidit. Alias enim ſi in periculo mortis conſtitutus, ad ſui defenſionem cum moderamine inculpatæ tutelæ hominem occidiſſet, pœna mortis non eſſet afficiendus. *l. 3. ff. de J. & J.* aut ſi extra periculum vitæ ſuæ ſine animo occidendi de animo nocendi aut ſaltem culpa lata aut levi hominem occidit in rixa, etiam pœna mortis non eſt afficiendus. *l. 1. §. 3. l. 7. ff. ad L. Corn. de ſic.* Ergò neceſſe eſt, ut d. artic. duntaxat ſit intelligendus de eo, cujus manu homicidium animo occidendi eſt factum.

§. 36. Nec obſtat X. (1.) *Geneſ. 9. verſ. 6.* qvicunqve, ait, effuderit humanum ſangvinem, fundetur ſangvis illius. Qvæ verba generaliter loqvuntur abſq; ulla modificatione ſpecificaq; determinatione animi, modo qvis ex propoſito percuſſit aut inſidias ſtruxit. *Exod. 21. verſ. 12. 13. Dn. Joh. Gerhard in loco de lege Dei c. 4. ſect. 9. n. 152.* (2.) *Exod. 21. verſ. 12.* qvi percuſſit hominem, ut mortuus fuerit, morte moriatur. Ubi benè notandum, qvod dicitur: qvi percuſſit, non qvi occidit, nempè qvod ſufficiat, homicidam habere animum percutiendi, ſi mors ſeqvatur. (3.) *Num. 35. verſ. 16.* Si qvis ferro percuſſerit & mortuus fuerit, qvi percuſſus eſt, reus erit homicidii. *verſ. 18.* Si ligno, qvo interfici qvis poſſit, percuſſus interierit, percuſſoris ſangvine vindicabitur, &c. qvi textus ſolus de percuſſione loqvitur, hocq; innuit, ut is, qvi tali inſtrumento, qvo qvis interfici poſſit, percuſſerit, pœnæ mortis ſubjiciatur; ſcilicet qvod percuſſerit tali inſtrumento, qvo communiter qvis interficitur, licet deſit animus occidendi. Nam textus generaliter loqvens reſtrictivè & ſpecialiter eſt interpretandus, ſi alii

textus

textus eum ad eam determinant perſonam, qvæ animo occidendi hominem occidit, dum lex ex lege venit exponenda, & priores ad poſteriores & vice verſa veniunt trahendæ. *l. 27. l. 28. l. 29. ff. de LL.* Hinc *Geneſ. 9. verſ. 6. Exod. 21. verſ. 12. Num. 35. verſ. 16.* interpretandi & ad eum duntaxat, qvi hominem animo occidendi occidit, reſtringendi ſunt, qvia *Exod. 21. verſ. 12. 13.* pœna mortis expreſſe in eo determinatur, qvi hominem percuſſit animo occidendi & homo mortuus fuerit. Deinde mens legiſlatoris ſemper eſt inſpicienda & attendenda. Mens autem Dei *Geneſ. 9. verſ. 6.* hæc non eſt, qvaſi Deus vellet, ut qvicunq; hominem occiderit ſive culpoſe ſive inculpoſe, ſive animo occidendi, ſive ſine illo, ſive jure officii, ſive publica, ſive privata vindicta, ſive in ſanitatem ſive in damnum hominis & interitum. Alias enim etiam is, qvi caſu aut culpa tantum hominem occidiſſet, pœna mortis ſubjugandus eſſet, qvod eſt contra Dei voluntatem & mentem. Nam Deus non vult, ut ejusmodi homicida pœna mortis afficiatur, ſed potius vult, ut in vivis conſervetur. *Exod. 21. verſ. 12. 13. Num. 35. verſ. 10. 11. Deut. 9. verſ. 5. 6. Joh. 20. verſ. 1. 2. 3.* Alias etiam chirurgus, qvi ſangvinem humanum fundit in ſanitatem hominis, morte plectendus eſſet, quod abſurdum contra voluntatem & mentem Dei eſt, qvi jubet ut homo Chirurgis & Medicis utatur. *Syr. 38. verſ. 1.* Alias etiam Magiſtratus, qvi jure officii ex vindicta publica hominem occidit, & humanum ſangvinem fundit, pœna mortis eſſet afficiendus, qvod abſurdum foret & contra mentem Dei eſſet. Nam ideo Deus Magiſtratum conſtituit, & ipſi gladium accinxit, ut maleficos gladio puniat, & ſangvinem humanum ejus, qvi ſangvinem humanum effudit, effundi curaret. *Rom. 13. verſ. 1. 2. 3. 4.*

§. 37. Nec obſtat XI. qvando Dominus *Carpz. in praxi Crim. p. 1. q. 1. n. 42.* dicit: Et ſane, ſi aliud diceremus, res eſſet pesſimi exempli, & infinita homicidia remanerent impunita. Qvilibet enim homicida, qvo mortis pœnam effugeret, hac exceptione ſe tueri poſſet, dicens, ſe non habuiſſe animum occidendi, neq; putaſſe, mortem exinde eventurum. Hoc, inqvam, non obſtat. Nam ſi is, qvi homicidium ſine animo occidendi commiſit, pœna mortis non afficitur, ſed leniori plectitur, non eſt res peſſimi exempli,

pli, ſed exempli juſtiſſimi, qvia pœna mitiori ex jure Divino & humano eſt plectendus. *l. 1. §. 3. l. 7. ff. ad L. Corn. de ſic. l. 1. l. 5. C. eod. Exod. 21. verſ. 12. 13. Num. 35. verſ. 10. 11. Deut. 19. verſ. 4. 5. 6. Job. 20. verſ. 1. 2. 3.* Nec ſi is, qvi homicidium ſine animo occidendi, ſed animo nocendi aut culpa commiſit, pœna extraordinaria punitur, infinita homicidia non remanent impunita, qvia pœna digna pro qvalitate delicti commenſurata puniuntur, vel fuſtigatione, vel relegatione vel pœna carceris vel mulcta. Præterea homicidia non remanent impunita, licet qvilibet homicida, qvo mortis pœnam effugiat, hac exceptione ſeſe tueatur dicens, ſe non habuiſſe animum occidendi, nec putaſſe, exinde mortem eventuram. Nam ejusmodi exceptio non ubiq; admittitur. Etenim ſi contra homicidam ex genere armorum militat præſumptio, ipſum animo occidendi occidiſſe, pœna mortis eſt afficiendus, licet exceptione uſus fuerit, ſe animum occidendi non habuiſſe. *l. 6. C. ad L. Jul. de vi publ. §. 5. J. de Jud. publ. l. 6. §. 6. ff. de Re milit. Num. 35. verſ. 18.*

§. 38. Nec obſtant XII, tam multa & clara præjudicia & ſententiæ Scabinatus Electoralis Lipſienſis, qvibus contrarium eſt ſtatutum, & is, qvi ſaltem animum nocendi ſine animo occidendi homicidium commiſit, pœna mortis eſt affectus, uti Dn. *Carpz. in d. p. 1. q. 1. n. 43. 44. ſeqq.* multa & varia allegat ejusmodi præjudicia. Hæc, inqvam, non obſtant. Nam in jure expreſſe cautum eſt, ne judex ſecundum præjudicia & ſententias aliorum judicum, Scabinatuum, Facultatum Juridicorum de cauſa ſubſtrata judicet, ſed potius injunctum eſt omnibus & ſingulis judicibus, ut veritatem legum & juſtitiæ veſtigia ſeqvantur & non exemplis, ſed legibus judicent. *l. 13. C. de ſentent. & interloc.* Nec ſpectandum, qvod Lipſiæ judicatum fuerit, ſed qvid judicari debuiſſet, ſi præjudicium nullum extaret. *l. 12. ff. de offic. præſid.*

§. 39. Nec obſtat XIII. authoritas *Carpz. Gomez, & aliorum JCtorum*, qvi ſtatuunt, eum, qvi ſine animo occidendi, ſed ſaltem animo nocendi homini lethale vulnus infligit, ex qvo mors ſeqvitur, pœna ordinaria eſſe puniendum æqvè ac ſi animum occidendi habuiſſet. Hoc, inqvam, non obſtat. Nam in jure expreſſè ſancitum eſt, ne judex in ſententia ferenda multitudinem

auctorum reſpiciat, ſed ut rationem in jure fundatam ſeqvatur, qvia unius, & qvidem deterioris ſententia ſeu ratio & multas & majores ſententias ſeu opiniones in aliqva parte ſuperare poteſt. *l. 1. §. 6. C. de veter. Jur. enucl.* Nec videndum, qvis dixerit, ſed qvid dixerit. *l. 11. ff. de jure & juſt.*

§. 40. Nec obſtat. XIV. qvando Dominus *Carpz. d. p. 1. q. 1. n. 51. & 52.* ad ſententiam noſtram regerit, dicens, eum, qvi ſine animo occidendi, ſed animo nocendi hominem occidit, verſari in dolo, & ideò pœna ordinaria eſſe mulctandum. Hoc, inqvam, non obſtat. Nam ut homicida pœna ordinaria ſit afficiendus, non ſufficit dolus animi nocendi, ſed neceſſariò dolus animi occidendi reqviritur. *l. 1. §. 3. l. 7. ff. ad L. Corn. de ſic. l. 1. l. 5. C. eod.*

§. 41. Nec obſtat XV. qvando ſæpè allegatus Dominus *Carpz. p. 1. q. 1. n. 54.* dicit, in delictis animum & voluntatem non exitem attendi debere, procedere ſolum in eo, qvi omnino non habet animum delinqvendi. Nam talem non teneri de omni eventu & exitu, qvia contra ejus voluntatem contingeret. Hoc, inqvam, non obſtat. Nam hoc falſiſſimum eſt, qvia animus & voluntas non tantum in eo attenditur, qvi omnino habet animum non delinqvendi, ſed etiam in eo, qvi omnino habuit animum delinqvendi. Nam ſi qvis hominem occidit, non animo occidendi, ſed ſaltem animo nocendi, pœna mortis non eſt afficiendus, ſed mitiori. *l. 1. §. 3. l. 7. ff. ad L. Corn. de ſic.*

§. 42. Nec obſtat XVI. qvando Dn. *Carpz. d. l. n. 55.* dicit, *l. 1. §. 3. l. 7. ff. ad L. Corn. de ſic. l. 1. l. 5. C. eod.* loqvi de homicidio caſu fortuito perpetrato, ubi nullus intervenit dolus. Hoc, inqvam, non obſtat. Nam hoc falſum eſſe exinde patitur, qvod *l. 1. §. 3 ff. ad L. Corn. de ſic.* expreſſe loqvatur de homicidio doloſo, dolo animi nocendi commiſſo, ſed ſine animo occidendi, & dicit eum, qvi dolo animi nocendi ſine animo occidendi hominem occidit, pœna leniori eſſe afficiendum, non pœna mortis. Nam ſi qvis hominem clavi percuſſit aut cucuma [mit einen eiſern oder ehernen Tiegel] in rixa, qvamvis ferro percuſſerit, & occiderit, ſed non animo occidendi, lenienda ejus pœna eſt, qvia in rixa magis, qvam voluntate homicidium admiſit. Caſu admiſit in tan-

tum,

tum, in qvantum mortem non intendit dum mors præter intentionem ſecuta fuerit, nec in eo animus occidendi ex genere armorum præſumitur, qvia clavis aut cucuma, qvamvis ferro conſtet, non ſunt arma per ſe lethifera. *l. 1. §. 3. ff. ad L. Corn. de ſic.*

§. 43. Is, qvi in rixa hominem ſine animo occidendi lethaliter vulneravit, ut mors ſecuta fuerit, pœna mortis non eſt afficiendus (1.) qvia ad pœnam mortis in cauſa homicidii neceſſario animus occidendi reqviritur. *l. 1. §. 3. ff. ad L. Corn. de ſic.* (2.) qvia ſi animum occidendi non habuit, ſed ſaltem animum nocendi & mors præter intentionem per accidens ſecuta fuerit, caſu magis, qvam voluntate homicidium admiſit, qvia per accidens præter intentionem mors fuerit ſecuta. *l. 1. §. 3. ff. ad L. Corn. de ſic. l. 1. C. eod.*

§. 44. Nec obſtat, *l. 1. C. de injur.* ubi is, qvi in rixa in conſulto calore prolapſus homicidii convicium objicit, pœna injuriarum eſt afficiendus. Hoc, inqvam non obſtat. Nam eo ipſo, dum qvis in rixa inconſulto calore iracundiæ convicium aliqvod objicit, animum injuriandi habet, & ideo pœna injuriarum eſt mulctandus. Verum is, qvi in rixa ſine animo occidendi, ſed animo nocendi ex calore iracundiæ aliqvem vulnerando occidit, pœna mortis non eſt afficiendus, qvia mors per accidens præter intentionem ſecuta fuit. *l. 1. §. 3. ff. ad L. Corn. de ſic. l. 1. C. eod.*

§. 45. Nec obſtat *Conſtit. Crim. Carol. art. 134. ibi.* Aber nach Gewohnheit etlicher Gegend werden die vorſetzlichen Mörder und Todtſchläger einander gleich mit dem Rade gericht / darinnen der Unterſchied zu halten und alſo / daß der Gewohnheit nach ein vorſätzlicher / muthwilliger Mörder mit dem Rade / und ein anderer / der ein Todtſchlag gethan / und ſonſten auch gemeldete Entſchuldigung nicht hat / mit dem Schwerd vom Leben zum Tode ſoll geſtrafft werden. Hæc, inqvam, non obſtant. Nam dicta conſtitutio non agit de generali omnium locorum, ſed tantum de qvorundam locorum locali & ſpeciali conſvetudine, qva homicidæ pœna rotæ plectuntur, ſi ex propoſito, prævia animi deliberatione homicidium commiſere, & ſic huc non pertinet, ubi agimus de jure per totum imperii diſtrictum communi. Deinde dicta conſtitutio dicit, eum, qvi in rixa extra hominem occidit animo occidendi, pœna mortis

eſſe

eſſe afficiendum, qvia loqvitur de eo, qvi excuſationem habet. Is autem excuſationem à pœna habet, qvi hominem ſine animo occidendi occidit. *l. 1. §. 3. l. 7. ff. ad L. Corn. de ſic. l. 1. C. eod.*

§. 46. Nec obſtat, qvando dicitur, jus Saxonicum & divinum generaliter loqvi & indiſtinctim pœnam mortis ſtatuere in homicidas ſeu in rixa ex calore iracundiæ ſeu extra iram absq; iracundiæ calore homicidium commiſerint. Landr. *art. 13. Gen. 9. Num. 35. verſ. 21. Matth. 26.* Nam ſupra §. 45. probavimus, textus illos, licet generaliter loqvantur, tamen reſtrictivè eſſe intelligendos de eo, qvi hominem animo occidendi occidit.

§. 47. Is, qvi hominem in rixa ex calore iracundiæ injuſtè animo occidendi occidit, dum ipſe autor rixæ eſt, pœna mortis eſt afficiendus, qvia animum occidendi habuit, & in effectum mortis influxit, adeo, ut mors ſecuta fuerit. *l. 1. §. 3. l. 7. ff. ad L. Corn. de ſic. l. 1. l. 5. C. eod.*

§. 48. Nec obſtant *l. 2. C. de abolition. l. 16. §. 2. ff. de pœn.* in qvibus delictum ira commiſſum mitius puniri ſolere dicitur. Hæc, inqvam, haud urgent. Nam delictum ex calore iracundiæ ſine animo occidendi perpetratum, mitius puniri ſolet, qvia mors caſu magis, qvam voluntate ſecuta fuit, dum per accidens præter intentionem extitit. *l. 1. §. 3 ff. ad L. Corn. de ſic. l. 1. C. eod.*

§. 49. Is, qvi hominem in rixa juſto dolore commotus, dum injuriis prius eſt affectus, ex calore juſtæ iracundiæ occidit, licet animum occidendi habuerit, pœna mortis non eſt afficiendus, ſed mitiori. Nam qvamvis is, qvi juſto dolore movetur ad homicidium, hominem animo occidendi occidat, tamen caſu magis, qvam voluntate occidit, dum juſtum dolorem temperare neqvit, & ſic caſu qvodam ex improviſo animum occidendi concepit, & quidem ex inconſulto calore & intellectu excœcato, *l. 38. §. 8. l. 1. §. 5. ff. ad L. Corn. de ſic. l. 14. §. 6 ff. de bon. libert.*

§. 50. Is, qvi hominem in rixa, in periculo mortis conſtituto ſuccurrere voluit, caſu fortuito, ita, ut neq; conſenſum, neq; auxilium ad homicidium contulerit, incurrentem in gladium interfecit, nulla pœna eſt afficiendus, qvia tale homicidium eſt inculpoſum & merè caſuale. *§. 3. 4. 5. J. ad L. Aqvil.*

§. 51. Is, qvi hominem animo occidendi lethaliter vulnerando

occidit, licet errore perſonæ, tamen pœna mortis eſt afficiendus [1.] qvia is, qvi animum habet, & dum Sejum, qvem putat eſſe Titium, occidit animo occidendi, in effectum mortis influit. *l. 18. §. 3. ff. de injur.* Nam licet caſu ſeu per accidens præter intentionem Sejum, cum Titium occidere voluit, tamen non per accidens & præter intentionem, ſed ex intentione mors ſecuta fuit, dum certum hominem occidit, nempe Sejum. *l. 18. §. 3. ff. eod.*

§. 52. Nec movent. *l. 3. §. 4. l. 4. ff. de injur.* Nam ſi qvis, dum ſervum ſuum vulneraturus eſt, ex errore perſonæ vulnerat liberum hominem, pœna injuriarum non poteſt plecti ex eo, qvia dominus, qvi ſervum ſuum corrigere vult, non habet animum corrigendi & utitur jure ſuo. *l. 15. §. 1. & 6. ff. de injur.* Verùm is, qvi dum Titium occidere vult, per errorem perſonæ occidit Sejum, animum occidendi habet & influit in effectum mortis. *l. 18. §. 3. ff. de injur.*

§. 53. Is, qvi Titium ultra aqvam juxta rivum ſtantem telo, animo occidendi perfodere vult, ſed caſu qvodam Sejum juxta Titium ſtantem aut prætereuntem telo interfecit, pœna mortis eſt afficiendus, qvia, qvamvis per accidens præter intentionem Sejum occiderit, tamen non per accidens & præter intentionem, ſed ex intentione & voluntate occidendi hominem occidit, & per arma per ſe lethifera mortem alterius celeravit. *l. 18. §. 3. ff. de injur. junct. l. 1. §. 3. l. 7. ff. ad L. Corn. de Sic. l. 1. §. 5. C. eod.*

§. 54. Is, qvi hominem animo occidendi occidit, pœna mortis eſt afficiendus, licet ſit nobilis (1) qvia jure divino, qvod omnes omninò homines obligat, dum toti generi humano ſtatutum eſt, homicidæ indifferenter pœna mortis eſſe plectendi jubentur ſive ſint nobiles, ſive ignobiles. *Gen. 9. verſ. 6. V. Vir cum paucis comparandus Magnif. Dn. Joh. Herman. à Sode, Conſil. Elector. Moguntin. graviſſimus, pro tempore decima Vice Decanus ſpectatiſſimus, Senior Collegii Juridici noſtri excellentiſſimus, Fautor atq; Patronus æternum colendus in Nucl. Jur. Publico-feud. Hept. IV. additament. 2. in edition. ſecund. p. m. 27.* (2.) qvia jure Civili homicidæ, qvi hominem animo occidendi occidere indifferenter ſive nobiles ſint, ſive ignobiles, jubentur pœna mortis affici, ſi hominem animo occidendi occiderint. *Conſt. Crim. Carol.*

Carol. V. art. 137. ibi: Ein jeder Mörder oder Todtſchläger / wo er nicht rechtmäſſige Urſachen anführen kan/ hat das Leben verwürcket. [4.] qvia jure Saxonico omnes homicidæ indifferenter ſive ſint nobiles ſive ignobiles pœna mortis ſunt afficiendi, ſi animo occidendi hominem occiderunt. Landr. *art.* 13.

§. 55. Non in contrarium probant *l. 4. §. 1. ff. de incend. ruin. naufr. l. 12. §. 1. ff. eod, l. 3. §. 5. ff. ad L. Corn. de Sic.* ubi expreſſe dicitur: pœnas delictorum ſecundum juſtitiam diſtributivam pro qvalitate perſonarum eſſe infligendas. Hoc, inqvam, non obſtat. Nam pœnæ delictorum ſecundum juſttiam diſtributivam pro qvalitate perſonarum & delicti ſunt infligendæ, ſi à Deo pro toto genere humano non ſunt determinatæ. *l. 12. §. 1. l. 4. §. 1. ff. de incend. ruin. l. 3. §. 5. ff. ad L. Corn. de Sic.* Verùm ſi pœna à Deo pro toto genere humano eſt determinata, ſecundum juſtitiam diſtributivam pro qvalitate perſonarum non eſt infligenda, ſed ſecundum juſtitiam commutativam tantum pro qvalitate delicti, qvalitate perſonarum non attenta; qvia lex univerſalis de pœna à Deo pro toto genere humano determinata omnes omninò homines obligat, ut omnes judices pœnam à Deo determinatam delinqventibus indifferenter dictare atq; infligere debeant, dum omnes omninò judices imperio Dei ſunt ſubjecti, ut nihil qvicqvam in præceptis Dei mutare, addere aut detrahere poſſint ac debeat. *Deut. 4. verſ. 2.* Pœna autem homicidii eſt per legem univerſalem à Deo pro toto genere humano determinata, ut is, qvi animo occidendi hominem occidit, pœna mortis ſit afficiendus. Nam Deus antiqvam legem Moſaicam dederat, & populum Iſraeliticū ſibi elegerat proprium, ſtatim poſt diluvium toti generi humano hancce dedit legem, ne qvis hominem occidat, & pœnam determinavit, ut homicida pœna gladii ſit mulctandus, *Geneſ. 9. verſ. 6.* Cum igitur pœna homicidii à Deo pro toto genere humano per legem univerſalem fuerit determinata, conſeqvens eſt, ut pœna gladii ſit afficiendus is, qvi hominem animo occidendi occidit ſive ſit nobilis ſive ignobilis. *Geneſ. 9. verſ. 6.*

§. 56. Is, qvi hominem occidendi animo occidit, pœna mortis eſt afficiendus, licet ſit Clericus, qvia leges non diſtingvunt inter Clericum & Laicum, ſed omnes pœna ordinaria, ſi animus

 occiden-

occidendi certus fuerit, puniendos volunt, qvia neq; jure Divino, neq; Civili, neq; Carolino, neq; Saxonico ullus Clericorum reſpectus adhibetur, ſed indiſtinctim omnes puniendi aſſeruntur, prout §. anteced. dictum.

§. 57. Is, qvi hominem animo occidendi interfecit, pœna mortis eſt plectendus, licet occiſus infans aut ſervus fuerit, qvia jure Divino homicida, qvi animo occidendi occidit ſive occiſus fuerit infans, ſive adultus, ſive liber ſive ſervus pœna mortis eſt afficiendus, dum ſangvis infantis ſerviq; æqve eſt ſangvis hominis, ac ſangvis adulti vel liberi. *Geneſ. 9. verſ. 6. l. 8. C. ad L. Corn. de Sic.*

§. 58. Mandatarius, qvi animo occidendi occidit, pœna mortis eſt afficiendus, licet mandato alterius occiderit, ſi mandans jus imperandi non habuit, & mandarius intelligere potuit, damnum dari per mandati executionem. *l. 11. §. 3. ff. de injur. l. 20. ff. de O. & A. l. 21. §. 1. ff. de altion. rer. amot.*

§. 59 Mandatarius, qvi mandato alterius hominem animo occidendi occidit, pœna mortis non eſt afficiendus, ſi mandans jus imperandi habuit, & mandarius intelligere non potuit, damnum dari per mandati executionem. *l. 27. pr. ff. ad L. Aqvil. 15. §. 2. ff. de injur. l. 169. ff. de R. J.*

§. 60. Mandans, ſi animo occidendi hominem occidi mandavit, dum jus imperandi non habet, pœna mortis eſt afficiendus, qvia licet ipſe per ſe in effectum mortis non influxerit, tamen per alium animum occidendi homicidium commiſit, qvod autem qvis per alium facit, per ſe feciſſe putandus eſt. *l. 11. §. 3. ff. de injur. l. 152. § 1. l. 169. ff. de R. J.*

§. 61. Mandans ſi ſine animo occidendi, ſed ſaltem animo nocendi mandavit, ut homo lædatur, & expreſſe prohibuit, ne occidatur, pœna mortis non eſt afficiendus, ſed leviori atq; extraordinaria, qvia mandarius fines mandati exceſſit & hominem occidit. *c. 3. X. de hom. in 6.*

§. 62. Is, qvi hominem occidit animo occidendi, pœna mortis ordinaria eſt afficiendus & non graviori, licet ex propoſito, prævia deliberatione occiderit; qvia jure Divino & civili homicida ſive deliberatione animi præcedente ſive ſine ea homi-

nem

rem occidens animo occidendi non pœna rotæ, ſed ſaltem pœna mortis eſt afficiendus. *Geneſ. 9. verſ. 6. l. 1. §. 3. ff. ad L. Corn. de Sic. l. 1. l. 5. C. eod.*

§. 63. Nihil huc facit *Conſtitut. Carol. art.* 137. ubi: Aber nach Gewohnheit etlicher Gegend werden die vorſätzlichen Mörder und Todtſchläger einander gleich mit dem Rade gerichtet. Nam dicta conſtit: loqvitur de ſtatuto ſeu jure locali, qvo in certo loco homicidæ, qvi prævia animi deliberatione homicidium commiſerunt, pœna rotæ afficiuntur.

§. 64. Nec huc pertinet *Conſtit. Carol. art.* 130. ubi: Wer jemand mit Gifft oder Vehnen am Leib oder Leben beſchädiget / iſt es ein Mannsbild / der ſoll einen vorgeſetzten Mörder gleich mit dem Rade zum Tode geſtrafft werden. Dictus namq; art. pœnam rotæ ei, qvi hominem veneno occidit, dictavit in terrorem aliorum, qvia res eſt peſſimi exempli, *l. 38. §. 5. ff. de pœn.*

§. 65. Nec in contrarium movet Landr. *lib. 2. art.* 13. ibi: alle Mörder. Hoc, inqvam, non movet. Nam in d. textu ſermo eſt non de homicidis, ſed de latronibus, & ideò ipſis pœna rotæ dictatur.

§. 66. Si plures animo occidendi in necem alicujus & opem cædis faciendæ mutuam conſpirarunt, & ſic mutuum auxilium præſtando hominem occiderunt, licet de authore mortis certo non conſtet, tamen omnes pœna mortis ſunt afficiendi.

§. 67. I. Qvia jure Carolino pœna ordinaria ſunt afficiendi. *Conſt. Crim. Carol. V. art.* 148. ibi: So etliche Perſonen mit vorſätzlichen Willen und Muth zu ermorden einander Hülff und Beyſtand thun / dieſelben Thäter haben das Leben alle verwürckt.

§. 68. II. Qvia omnes animo occidendi hominem occiderunt, & alter alteri ad cædem committendam opem tulit, & ſic qvod qvisq; per ſe facere non potuit, per alium fecit atq; in effectum mortis per alium influxit. Qvod autem qvisq; per alium facit, per ſe ipſum feciſſe cenſendus eſt. *c. 77. X. de R. J. in 6. l. 5. C. de accuſat. l. 37. pr. ff. ad L. Aqvil. l. 29. §. 7. ff. eod. l. 11. §. 3. l. 15. §. 8. ff. de injur.*

§. 69. III. Qvia omnes animum occidendi habuerunt & cauſam mortis præbuerunt. Is autem, qvi animum occidendi habuit,

buit, & cauſam mortis ſive per ſe ſive per alium præbuit, pœna mortis eſt afficiendus. *l. 1. §. 3. l. 15. ff. ad L. Corn. de ſic. l. 1. §. 1. ff. de eo, per qvem fact.*

§. 70. IV. Qvia ſi plures in rixa caſu fortuito ſine conſpiratione exorta hominem lethaliter vulnerando occiderunt, is duntaxat, qvi animum occidendi habuit, & cujus ictu periit, pœna mortis eſt afficiendus. *l. 17. ff. ad L. Corn. de Sic. junct. l. 1. §. 3. l. 7. ff. eod. l. 1. l. 5. C. eod.* Eo ipſo autem dum is duntaxat, ſi plures in rixa ſine conſpiratione in necem alicujus & ſine promiſſione auxilii mutui necis inferendæ hominem occiderant, pœna mortis eſt afficiendus, qvi animum occidendi habuit & cujus ictu periit, conſeqvens eſt, ut omnes, ſi plures extra rixam ex conſpiratione in necem alicujus & in mutuam opem cædis faciendæ occiderunt, pœna mortis ſint afficiendi, licet de authore mortis certò non conſtet, qvia omnes & ſinguli animum occidendi habuerunt & vel per ſe vel per alium cædem commiſerunt. *l. 1. §. 3. l. 15. ff. ad L. Corn. de Sic.*

§. 71. Nec obſtat. *l. 25. C. de prob.* ubi dicitur, hominem ex præſumptionibus in pœnam mortis non eſſe damnandum. Eo ipſo autem, dum de authore mortis ſi plures ex conſpiratione hominem occiderunt, certò non conſtat, ſeqvitur, ut nullus eorum pœna ſit mortis afficiendus. *l. 17. ff. ad L. Corn. de Sic*, & judex promtior eſſe debet in dubio ad abſolvendum, qvam ad condemnandum. *l. 5. pr. ff. de pœn.* Et in pœnalibus cauſis benignius eſt interpretandum. *l. 155. §. 2. ff. de R. J.* inq; re dubia benigniorem interpretationem ſeqvi, non minus juſtius eſt qvam tutius. *l. 42. ff. de pœn. l. 192. §. 2. ff. de R. J.*

§. 72. Hæcce, inqvam, non obſtant. Nam ſi plures in necem alicujus & in mutuam opem cædis faciendæ conſpirarunt, & poſtea ex hac conſpiratione hominem occidunt, licet de authore mortis certo non conſtet, certo tamen conſtat, omnes & ſingulos animum occidendi habuiſſe & vel per ſe vel per alium in effectum mortis influxiſſe, itaq; ex hac ratione omnes & ſinguli pœna ordinaria ſunt afficiendi. *l. 1. §. 3. ff. ad L. Corn. de Sic. l. 11. §. 2. ff. ad L. Aqvil.*

§. 73. Si plures in rixa ſine prævia conſpiratione in necem

alicu-

alicujus hominem occiderunt, is, qvi animum occidendi habuit, & cujus ictu periit, pœna mortis eſt afficiendus, *l. 1. 3. l. 17. ff. ad L. Corn. de Sic. l. 11. §. 2. ad L. Aqvil.*

§. 74. Si plures in rixa, ſine conſpiratione in necem alicujus, hominem occiderunt, & non conſtat, cujus ictu periit, omnes & ſinguli pœna arbitraria ſunt afficiendi, *l. 12. §. 2. ad L. Aqvil.*

§. 75. Si plures in rixa, ſine conſpiratione in necem alicujus, hominem occiderunt & non conſtat, cujus ictu periit, omnes pœnam arbitrariam in ſolidum ſolvere teneantur, & ſolutione unius reliqvi non liberantur, *l. 11. §. 2. ff. ad L. Aqvil.*

§. 76. Si plures in rixa ſine conſpiratione hominem occiderunt, omnes & ſinguli ratione damni dati in ſolidum qvidem ſunt condemnandi, ſed ſolutione unius cæteri non liberantur. *l. 4. ff. ad L. Aqvil. & l. 17. ff. de dolo mal.*

§. 77. Si plures in rixa, ſine conſpiratione in necem alicujus, hominem multis vulneribus occiderunt, & qvidem omnibus lethiferis, & non conſtat, cujus ictu homo periit, nullus eorum pœna mortis eſt afficiendus, nec omnes pœna arbitraria ſunt plectendi, ſed illi tantum, qvi in confuſione conflictus occiſum telo vel gladio petierunt.

§. 78. I. Qvia vulnera, licet fuerint lethifera, & etiam mors ſecuta, tamen omnes & ſinguli animum occidendi non habuerunt, nec in necem ejus conſpirarunt. Is autem, qvi animum occidendi non habuit, licet hominem occiderit, tamen pœna mortis non eſt afficiendus. *l. 1. §. 3. ff. ad L. Corn. de Sic.*

§. 79. II. Qvia non conſtat, an omnes & ſinguli actum per ſe lethiferum exercuerint. Nam facilè fieri potuit, ut hic vel alter, qvi occiſo vulnus lethale inflixit, in crura ejus icere voluit, ſed caſu & culpa occiſi, qvi gladium excipiendo ſuſtulit, ut in pectus latus fuerit, aut dum vulnerans prohibere voluit, occiſus ipſe ab alio fugatus, in enſem à tergo ſtantis incurrit. Is autem, cujus actus per ſe non fuit lethiferus, licet caſu aut culpa mors ſecuta fuerit, tamen pœna mortis non eſt afficiendus. *l. 1. §. 3. ff. ad L. Corn. de Sic.*

§. 80. III. Qvia arma omnium & ſingulorum fortaſſis non

fuerunt

fuerunt lethifera per ſe. Nam unus gladio, alter trunco, hic lapide, ille cucuma, hic clavi, ille olla aut faſcibus clavium in conflictu uſi fuerunt. Is autem qvi armis per ſe lethiferis uſus non eſt, licet hominem inde occiderit, tamen mortis pœna non eſt afficiendus. d. l.

§. 81. Si plures in rixa hominem multis vulneribus lethiferis & non lethiferis occiderunt, ſed cujus ictu & vulnere mortuus fuit, ignoratur, omnes pœna arbitraria ſunt afficiendi. *l. 17. ad L. Corn. de Sic. l. 11. §. 2. l. 51. §. 1. ff. ad L. Aqvil.*

§. 82. Si plures in rixa animo nocendi hominem non lethaliter multis vulneribus, qvæ conjunctim cauſa mortis fuerunt, vulnerarunt, omnes & ſinguli pœna arbitraria ſunt afficiendi. *l. 11. §. 2. l. 51. §. 1. ff. ad L. Aquil. l. 1. §. 3. ff. ad L. Corn. de Sic.*

§. 83. Si plures in rixa hominem occiderunt & ignoratur, cujus ictu homo periit, auctor rixæ pœna mortis non eſt afficiendus, qvia non conſtat & qvatenus non conſtat, eum animum occidendi habuiſſe & in effectum mortis vel per ſe vel per alium influxiſſe. *l. 1. §. 3. l. 4. §. 1. ff. ad L. Corn. de Sic.*

§. 84. Is, qvi hominem ex propoſito prævia animi deliberatione per inſidioſam induſtriam vel in via publica civitatis vel in domo propria animo occidendi occidit crudeliter, multis vulneribus inflictis, pœna mortis eſt afficiendus, ita, ut cadaver ejus poſt executionem gladii rotæ imponatur. *c. 6. pr. X. de hom.*

§. 85. Is, qvi ſe ipſum lethaliter vulnerando ex conſcientia perpetrati criminis, vel tædio vitæ, vel impatientia doloris occidit, pœna corporis afflictiva non eſt afficiendus, ſed ipſi denegatur ſepultura honeſta, ejusq; cadaver per feneſtras trajectum in locum infamem & cadaveribus deſtinatum projiciatur. *arg. l. ult. ff. de bon. eor. qvi mort. ſibi*: Idq; moribus noſtris obſervari teſtatur experientia *Carpz. in prax. crim. p. 1. q. 2. n. 30.*

§. 86. Is, qvi ſe ipſum lethaliter vulnerando occidit ex furore, melancholia vel ex alia animi impotentia, honeſtè eſt ſepeliendus, qvia potius commiſeratione dignus eſt, qvàm pœna aliqva. *arg. l. ult. §. 6. ff. de bon. eor. qvi ante ſent.*

§. 87. Is, qvi tædio vitæ vel impatientia doloris ſe ipſum tantùm vulnerat, ſed non lethaliter, pœna arbitraria eſt puniendus,

dus. *l. ult. §. 6. d. t.* qvia nemo eſt dominus membrorum ſuorum. *l. 13. ff. ad L. Aqvil.* Et corrupit membrum reipubl. Reip. autem intereſt, ne qvis re ſua abutatur. *§. 2. J. de his, qvi ſui vel alien. jur. ſunt.*

§. 87. Nec obſtat. *l. 25. §. 11. ff. de hæred. pet.* ubi dicitur: qvod qvis re ſua abuti poſſit. Hoc, inqvam, non obſtat. Nam dicta lex non loqvitur de corpore humano, ſed tantùm de re familiari, & dicit, qvod qvis re familiari dilapidando vel perdendo abuti poſſit in damnum ſui, non autem in damnum Reip. Nam ſi Magiſtratus audivit, qvemdã ex civibus re ſua etiam familiari abuti & ſine cauſa corrumpere & perdere, tunc officii jure inhibere poteſt, ne fiat, qvia reip. intereſt, ne qvis re ſua abutatur. *§. 2. J. de his, qvi ſui vel alien.*

§. 89. Is, qvi hominem ſine animo occidendi, ſed animo nocendi non lethaliter vulnerat, pœna mortis non eſt afficiendus, ſed pœna arbitraria. *l. 1. §. 3. ad L. Corn. de Sic.* ubi: ſed ſi clavi aut cucuma in rixa, qvamvis ferro percuſſerit, tamen non occidendi animo, leniendam ejus pœnam.

§. 90. Is, qvi hominem animo occidendi, ſed non lethaliter vulnerat, pœna mortis non eſt plectendus, ſed pœna arbitraria (1.) qvia mors non eſt ſecuta. Nam ad pœnam mortis reqviritur non tàm animus occidendi, ſed etiam cædes. *l. 1. pr. §. 2. 3. ff. ad L. Corn. de Sic. l. 21. §. 7. ff. de furt. l. 19. ff. de falſ.* (2.) qvia ex opinione DD. conſvetudine generali fundata pœna ordinaria non eſt mulctandus, ſed extraordinarie pro arbitrio judicis. Nam ita in terminis tenet *Carpz. p. 1. q. 25. n. 17. de Crim. Jul. Clar. §. fin. q. 62. n. 1. & plures alii DD. Juris à Carpz. ibid. alleg.* Opinio autem DD. generali conſvetudine fundata in ſententiis ferendis eſt ſeqvenda. *l. 32. | l. 37. ff. de LL.*

§. 91. Nec obſtant. *l. 1. §. 3. ff. l. 7. C. ad L. Corn. de Sic.* ubi: & qvi hominem non occidit, ſed vulneravit, ut occidat pro homicida damnandum; Et ex re hoc conſtituendum. Hoc, inqvam, nos non urget. Nam is, qvi hominem vulnerat, ut occidat, eo ipſo, dum non occidit, cædem non committit, qvia conatum in effectum conſumatum non traduxit. Is autem, qvi conatum occidendi in effectum conſumatum non deduxit, licet in actum proximum,

mum,

mum, tamen pœna ordinaria non eſt afficiendus. *l. 15. §. 10. ff. de injur.* Lehnrecht. *c. 31.* ibi: Es geſchicht an Willen noch an ſchlechten Worten kein Gewalt/wann keine That darnach folgt. Deindè particula Pro ind. textu notat ſimilitudinem, ut qvaſi pro homicida ſit damnandus, ex eo, qvia animum occidendi habuit, & ſic impropriat, & dicit, qvod propriè non ſit homicida, qvia mors non fuerit ſecuta, & ideo non pœna ordinaria ſed extraordinaria, & qvidem gravi, nempè pœna fuſtigationis & relegationis eſt plectendus. Hiſce accedit, qvod ex conſvetudine generali is, qvi animo occidendi vulnerat, ſeu vulnerat, ut occidat, ſed non occidit, pœna mortis non ſit afficiendus. *Carpz. de Crim. p. 1. q. 25. n. 17.* Et is, qvi ſervum mortiferè vulneravit animo occidendi, ſed poſtea ſervus ruina, naufragio vel alio ictu maturius perierit de occiſo agi non poteſt, ſed de qvaſi vulnerato. *l. 15. §. 1. ff. ad L. Aqvil.* Et qvi ſervum non mortiferè vulnerat animo occidendi, negligentia chirurgi autem ſervus periit, non tenetur de occiſo, ſed de vulnerato. *l. 31. §. 4. ff. eod.*

§. 92. Is, qvi hominem ſine animo nocendi, ſed culpa, non lethaliter vulnerat, pœna arbitraria eſt afficiendus. *l. 7. ff. ad L. Corn. de Sic.*

§. 93. Is, qvi alto ſe præcipitavit in eum locum, qvo vulgo iter fieri ſolet, & ſuper alium venit, eumq; occidit, ſed ipſe in vivis permanſit, pœna mortis non eſt afficiendus, ſed pœna arbitraria, qvia animo ſe interficiendi duntaxat ſe præcipitavit ex alto, ſed non animo occidendi prætereuntem aut infra ſtantis per accidens & præter intentionem contigit. Cum autem is, qvi ſe præcipitavit, in culpa ſit mortis prætereuntis, dum ſe in eum locum, qvo vulgò iter fit, vel in qvo conſiſtitur, pœna extraordinaria pro arbitrio judicis eſt mulctandus. *l. 7. ff. ad L. Corn. de Sic. l. 1. pr. ff. de his, qvi effud. vel dejec.*

§. 94. Is, qvi arborem amputat & ex arbore ramum in eum locum, qvo vulgò iter fit, aut in qvo conſiſtitur, dejicit, nec proclamando prætereuntes, aut alio qvodam ſigno admonuit, & ſic prætereuntem occidit, pœna mortis non eſt afficiendus, ſed pœna arbitraria, qvia neq; animo occidendi, neq; nocendi, ſed ſaltem culpa cædem commiſit. *§. 5. J. ad L. Aqvil. l. 7. ff. ad L. Corn. de Sic.*

§. 95.

§. 95. Pater, ſi filiam cum adultero legitimè occidit, pœna mortis non eſt afficiendus, qvia homicidium lege permittente commiſit, & ab omni pœna eſt immunis. *l.* 20. *& ſeqq. ff. ad L. Jul. de adult.*

§. 96. Ad hoc verò ut pater filiam cum adultero impune occidere poſſit, qvinq; reqviruntur, (1.) ut filia, cum qva adulterium committitur, ſit adhuc in poteſtate patris occidentis. *l.* 20. *ff. ad L. Jul. de adult.* [2.] ut vir, cum qvo adulterium committitur, ſit uxoratus & filia maritata. *l.* 22. *ff. eod.* (3.) ut pater occidens non amplius ſit in poteſtate patria, ſed ſui juris. *l.* 20. *&* 21. *ff. eod.* [4.] ut pater filiam cum adultero in ſua domo invenerit. *l.* 22. §. 2. *ff. eod.* (5.) ut pater adulterum cum filia in ipſo actu venereo deprehenderit. *l.* 23. *ff. eod.*

§. 97. Pater, ſi filiam cum adultero occidit, impunè homicidium non committit, ſed pœna arbitraria eſt afficiendus (1.) ſi filia eſt ſui juris. *l.* 20. *ff. ad L. Jul. de adult.* (2.) ſi vir eſt ſolutus, vel filia ſoluta. *l.* 22. §. 2. *ff. eod.* (3.) ſi pater occidens eſt adhuc in poteſtate patria. *l.* 20. *&* 21. *ff. eod.* (4.) ſi filiam cum adultero in domo aliena invenerit, licet in actu venereo. *l.* 22. §. 2. *ff. eod.* [5.] ſi filiam cum adultero in ſua domo invenerit, ſed non in ipſo actu venereo. *l.* 23. *ff. eod.*

§. 98. Pater ſi adulterum filiæ ſuæ in ipſa filia deprehenſum aut non vult aut non jure poteſt occidere, horas diurnas nocturnasq; continuas non plus qvam viginti teſtandæ ejus rei gratia ſine fraude retinere poteſt. *l.* 25. *ff. ad L. Jul. de adult.*

§. 99. Pater, ſi filiam cum adultero legitimè occidit, ab omni pœna eſt immunis, licet adulter ſit magiſtratus. *l.* 24. §. 3. *ff. ad L. Jul. de adult.*

§. 100. Pater, ſi filiam cum adultero legitimè occidit, ab omni pœna eſt liber, licet filia ſit ignominioſa. *l.* 24. §. 3. *ff. eod.*

§. 101. Maritus, ſi adulterum uxoris ſuæ legitimè occidit, pœna mortis non eſt afficiendus, qvia homicidium lege permittente committit & ab omni pœna eſt immunis. *l.* 24. *ff. ad L. Jul. de adult.*

§. 102. Ad hoc autem, ut maritus, ſi adulterum uxoris ſuæ occidit, impunè non occidere poſſit, tria reqviruntur (1.) ut adul-

ter ſit leno vel homo, qvi ludricram artem ante fecit, in ſcænam ſaltandi, cantãdive cauſa prodiit, vel judicio publico damnatus, nec in integrum reſtitutus fuit, vel qvi libertus ejus mariti, uxoris, patris, matris, filii, filiæ utriusq; eorum fuerit, vel qvi ſervus alicujus eorum proprius aut cum alio communis fuit. *l.24. pr. ff. ad L. Jul. de adult.* (2.) ut adulterum in ſua domo deprehenderit. *d. l.* (3.) ut maritus adulterum in ipſa uxore deprehenderit. *l. 25. ff. eod.*

§. 103. Maritus, ſi adulterum uxoris ſuæ occidit, homicidium impune non committit, ſed pœna arbitraria eſt plectendus (1.) ſi adulter non ſit leno aut homo vilis. *l. 24. ff. ad L. Jul. de adult.* (2.) ſi adulterum in ſua uxore aut domo non deprehenderit. *l. 24. ff. ad L. Jul. de adult.*

§. 104. Maritus, ſi adulterum uxoris ſuæ legitimè occidit, ab omni pœna liberatur, licet uxor contra leges nupſerit. *l. 24. §. 3. ff. eod.*

§. 105. Maritus, ſi adulterum in uxore ſua deprehenſum occidere non vult, aut jure non poteſt, viginti horas continuas teſtandæ ejus rei gratia, ſine fraude retinere poteſt. *l. 25. ff. eod.*

§. 106. Virgo, ſi eum, qvi virginitati vim inferre vult, cultro aut ſicca lethaliter vulnerando occidit animo occidendi, homicidium cum moderamine inculpatæ tutelæ non committit & pœna arbitraria eſt punienda (I.) qvia in periculo vitæ, dum vis virginitati inferre maſculus conatur, non eſt conſtituta. Nam vita hominis non conſiſtit in virginitate. *Lev. 17. verſ. 14.* Hinc licet virgo ſit devirginata, virgo nihilominus in vivis manet, qvia virginitas corporis eſt qvalitas ſeu accidens hominis, qvod poteſt adeſſe & abeſſe ſalva hominis ſubſtantia.

§. 107. Eo ipſo autem dum virgo, qvando vim virginitati inferre maſculus tentat, in periculo mortis non conſtituta, nihilominus hominem lethaliter vulnerando occidit, homicidium cum moderamine inculpatæ tutelæ non committit. Nam ad homicidium inculpatæ tutelæ neceſſariò & eſſentialiter reqviritur, ut occiſor in periculo mortis fuerit conſtitutus, ita ut vitam ſuam aliter conſervare non poſſit, qvam cæde aggreſſoris. *Conſt. Crim. Car. V. art. 140.* Rubr. Was eine rechte Nothwehr iſt. ibi: So einer jemand

mand mit einen tödtlichen Waffen oder Gewehr überlaufft / anficht oder ſchläget / und der Benöthigte kan füglichen ohne Gefährlichkeit ſeines Lebens/Leibes/ Ehr oder guten Leumuths nicht entweichen / der mag ſein Leib und Leben ohne alle Straff durch eine rechte Gegenwehr retten/ und ſo alſo er den benöthiger entleibet / iſt er darumb nicht ſchuldig.

§. 108. II. Qvia dum maſculus vim virginitati inferre conatur, armis lethiferis facere non ſolet, ſed nudis manibus comprimi & ſupprimi conatur, ut experientia hoc teſtatur.

§. 109. Eo ipſo autem dum virgo vim virginitati, qvando maſculus non armis lethiferis, ſed nudis manibus inferre conatur, nihilominus hominem lethaliter vulnerando occidit, homicidium inculpatæ tutelæ non committit, qvia ad homicidium inculpatæ tutelæ neceſſario & eſſentialiter reqviritur, ut occiſor armis lethiferis fuerit inſultatus. *Conſt. Crim. Car. art.* 140. ibi: So jemand mit tödtlichen Waffen anficht und ſchlägt.

§. 110. III. Qvia virgo, dum maſculus virginitati vim inferre laborat, ſine vitæ periculo eſſe poteſt, licet effugere non poſſit. Nam virgo, licet virginitas corporis auferatur, tamen vitam non amittit.

§. 111. Eo ipſo autem dum virgo, qvando maſculus virginitati vim inferre tentat, ſine periculo vitæ eſſe poteſt, licet effugere non poſſit, & nihilominus hominem lethaliter vulnerando occidit, homicidium inculpatæ tutelæ non committit qvia neceſſariò & eſſentialiter reqviritur, ut occiſor ſine periculo vitæ aufugere & vitam ſuam conſervare neqveat. *Conſt. Carol. art.* 140, ibi: Der mag ſein Leib und Leben (NB. copulativè) ohne alle Straff durch eine rechte Gegenwehr retten.

§. 112. Nec obſtat *Conſt. Carol. art.* 140. ibi: Und der Benöthigte kan füglich ſeines Leibes / Lebens / Ehr und guten Leumuth nicht entweichen. Hoc, inqvam, non obſtat. Nam illa verba copulativè & conjunctim ſunt ſumenda, non diviſim & disjunctim, qvia corpus & vita copulativè ſunt per cædem hominis tuenda. Eo ipſo autem dum corpus & vita per cædem hominis ſunt tuenda, ſeqvitur, ut fama & bona exiſtimatio non diviſim & ſeparatim per necem hominis ſit defendenda, ſi occiſor ſine læſione famæ & bonæ

 exiſti-

exiſtimationis effugere non poſſit, ſed copulativè & conjunctim, qvia fama & bona exiſtimatio ad vitam & corpus hominis non pertinent. Et ideo, ſi homo ſine periculo vitæ effugere non poteſt, periculum lædendi corporis & lædendæ famæ ſeu exiſtimationis eſt cauſa impulſiva, cur is, qvi aggreſſum paſſus eſt, aggreſſorem occidere poſſit, non adæqvata & fundamentalis, ſed inadæqvata & accidentalis. Nam periculum lædendi corporis non ſufficit ad hoc, ut is, qvi aggreſſum paſſus eſt, aggreſſorem impunè occidere poſſit, ſed reqviritur periculum vitæ, corporis & lædendæ vitæ copulativè. *Conſt. Carol. art. 140.* Alias enim, qvi ſine periculo levis alicujus percuſſionis effugere non poſſit, aggreſſorem impunè occidere valeret: qvod eſt abſurdum & contra mentem Legislatoris Carol. V. Sic periculum lædendæ famæ non ſufficiens eſt ad hoc, ut qvis aggreſſorem impunè necare qveat, ſed neceſſario & eſſentialiter reqviritur periculum vitæ amittendæ, ut qvis, ſi ſine periculo vitæ aufugere neqveat, aggreſſorem impunè occidere poſſit. Alias enim is, qvi ſine periculo lædendæ famæ effugere non poſſet [der nicht entweichen kan/ es ſey dann/ daß er müſſe anhören/ wie er vor einen Hundsfuth/ Bernheuter/ Schelmen oder Dieb geſcholten werde] aggreſſorem impune poſſit occidere: qvod abſurdum & in jure noſtro inauditum, in praxi etiam nullibi receptum.

§. 113. Is, qvi furem diurnum, dum rem interdiu alienam armis deſtitutus auferre vult, licet rem ſuam alio modo ſervare neqveat, niſi cæde hominis, occidit, homicidium inculpatæ tutelæ non committit.

§. 114. I. Qvia in periculo vitæ non eſt conſtitutus. Nam dum fur armis lethiferis non eſt inſtructus, ſed nudis manibus incedit, dominus rei nihil vitæ ſuæ timere poteſt, qvia nihil adeſt, qvo vita poteſt auferri. Deinde ſi fur, qvi in furto manifeſto deprehenditur, aufugit & ſibi timet, ne ſibi ob furtum malum inferatur, dominus rei furtivæ multo minus in periculo vitæ eſt.

§. 115. Eo ipſo autem dum is, qvi furem interdiu, dum rem ſine armis auferre vult, licet rem ſuam alio modo, niſi cæde hominis, conſervare neqveat, hominem occidit, homicidium inculpatæ tutelæ non committit, qvia eſſentialiter & neceſſario ad homici-

dium

dium inculpatæ tutelæ reqviritur, ut occiſor in periculo vitæ ſit conſtitutus. *Conſt. Crim. Carol. art.* 140.

§. 116. II. Qvia dum fur ſine armis interdiu rem auferre vult, armis non lethiferis vim inferre conatur. Nam dum ſine armis rem auferre vult, ſine armis lethiferis violentiam exercere ſtudet. Negato enim genere, negantur omnes ſpecies, qvæ ſub genere continentur. Negato armorum genere, negantur omnes armorum ſpecies, tam lethiferorum, qvam non lethiferorum.

§. 117. Eo ipſo autem dum fur interdiu ſine armis rem auferre vult, & dominus rei furtivæ nihilominus, licet rem ſuam aliter, niſi hominis cæde, retinere qveat, hominem occidit, homicidium inculpatæ tutelæ non committit, qvia neceſſario & eſſentialiter ad homicidium reqviritur, ut aggreſſor armis lethiferis aggreſſionem & inſultationem faciat. *Conſt. Carol. Crim. art.* 140.

§. 118. III. Qvia dum fur ſine armis rem auferre interdiu vult, ſine periculo vitæ dominus rei aufugere poteſt. Nam dominus rei poteſt recedere & ſe ex conſpectu furis ſubducere ſine omni periculo, qvia fur ſine armis eſt, ipſumq; non inſultat, ſed tantum auferre rem intendit.

§. 119. Eo ipſo autem dum dominus rei ſine vitæ periculo aufugere poteſt, & nihilominus hominem lethaliter vulnerando occidit, conſeqvens eſt, ut homicidium inculpatæ tutelæ non commiſerit. Ad homicidium enim inculpatæ tutelæ reqviritur eſſentialiter & neceſſario, ut qvis vitam ſuam aliter conſervare non poſſit, niſi aggreſſorem occiderit. *Conſt. Carol. art.* 140.

§. 120. IV. Qvia dum fur ſine armis rem auferre interdiu vult, corpus & vitam ſuam per necem hominis tueri non habet neceſſe. Nam dũ fur hominem lædere non ſtudet, ſed ſaltem rem auferre tentat, corpus & vita hominis non ſunt defendenda, qvia extra omne periculum ſunt poſita.

§. 121. Eo ipſo autem, dum fur interdiu rem ſine armis auferre vult, dominus rei corpus & vitam ſuam defendere per necem hominis non habet neceſſe, & tamen hominem occidit, exceptione inculpatæ tutelæ ſe tueri neqvit, qvia neceſſarium & eſſentiale inculpatæ tutelæ reqviſitum eſt, ut corpus & vita hominis per juſtam defenſionem ſeu necem hominis ſint tuenda. *Conſt. Carol. art.* 140.

§. 122.

§. 122. Nec contrariæ nobis ſunt. *l. 9. ff. ad L. Corn. de Sic. l. 7. §. 1. ff. qvod met. cauſ. l. 4. §. 1. ff. ad L. Aqvil. l. 54. §. 2. ff. de furt.* Nam dominus rei furem diurnum, qvi interdiu rem auferre vult, occidere non poteſt, ſi ſine armis, nudis manibus furtum committere tentat. *l 4. §. 1. ff. ad L. Aqvil.* Deinde dominus rei furem diurnum, qvi armis furtum committere conatur, occidere impune non poteſt, niſi is ſe telo defendat, & dominus cum clamore teſtificetur, ſe non animo occidendi, ſed animo rei & vitæ conſervandæ ſuæ furi reſiſtere. *l. 4. §. 1. ff. ad L. Aqvil.*

§. 123. Ad hoc autem, ut furem diurnum impunè occidere poſſit, reqviritur. (1.) ut clamaverit & furem indicaverit. *l. 4. §. 1. ff. ad L. Aquil.* (2.) ut fur telo ſe defendat. *l. 54. §. 2. ff. de furt.*

§. 124. Dominus rei, ſi furem nocturnum legitimè occidit, pœna mortis non eſt afficiendus, qvia homicidium lege permittente committit, & ab omni pœna eſt immunis. *l. 9. ff. ad L. Corn. de Sic. l. 7. §. 1. ff. qvod met. cauſ. l. 4. ff. ad L. Aqvil. l. 54. §. 2. ff. de furt.*

§. 125. Dominus qvippe rei furem nocturnum impunè occidere poteſt tum demum (1.) ſi clamaverit & furem indicaverit. (2.) ſi telo ſe defendat. *l. 7. §. 1. ff. qvod met. cauſ.* (3.) ſi ſine periculo parcere non poteſt. *l. 9. ff. ad L. Corn. de Sic.* Et ſic falſiſſimum eſt & manet, dominum rei poſſe furem, dum ſine armis rem interdiu auferre vult, impunè occidere.

§. 126. Nec obſtat *l. 1. C. unde vi.* ubi poſſeſſor ad defendendam poſſeſſionem, qvam ſine vitio tenet, ſi eam aliter, niſi cæde hominis, defendere poſſit, hominem impunè occidere poſſe dicitur. Hæc, inqvam, nihil impedimenti aſſertioni noſtræ afferunt. Nam in d. l. expreſſè docetur, vim illatam propulſare moderatione inculpatæ tutelæ licere. Eo ipſo autem dum poſſeſſio adverſus invaſorem & aggreſſorem eſt defendenda per tutamen inculpatum, neceſſe eſt, ut poſſeſſor in periculo mortis ſit conſtitutus, ita, ut vitam ſuam conſervare aliter, niſi cæde invaſoris poſſit. Hæc duo enim reqviſita eſſentialiter & neceſſario ad inculpatæ tutelæ moderamen reqviruntur. *Conſt. Carol. art.* 140. Eo ipſo autem dum poſſeſſor vitam ſuam occaſione poſſeſſionis defendendæ

dendæ per necem invaſoris defendit, rem ipſam; qvàtenus res eſt & in ſe conſideratur per necem invaſoris defendere neqvit *per d. Conſt. art. 140.* Deinde nullibi in jure eſt fundatum, ut qvando qvis rem ſuam conſervare non poſſit, niſi cæde invadentis & auferentis, hominem licere interficere, ſed tum demum licitum eſt, hominem occidere ad ſui defenſionem, ſi vitam ſuam aliter conſervare non poteſt, niſi cæde aggreſſoris. *Conſt. Crim. art. 140.* Et ex hac ratione dominus rei, dum fur rem auferre vult, licet arma gerat, tamen ſi fur gladio ſe non defendit & dominus in periculo vitæ non eſt conſtitutus, & furi ſine periculo ſui parcere poteſt, furem etiam nocturnum occidere impunè non valet. *l. 9. ff. ad L. Corn. de Sic. l. 7. §. 1. ff. qvod met. cauſ.* Hinc DD. communiter defenſionem rerum per necem hominis tum demum licitam eſſe ſtatuunt, qvando cum vitæ corporisq; periculo conjuncta eſt, ita, ut non tam defenſio rerum per necem hominis ſit licita, ſed defenſio vitæ, ſi aliter conſervari non poſſit, niſi cæde aggreſſoris per cædem hominis ſit permiſſa. *Carpz. in Prax. Crim. p. 1. q. 32. n. 19.*

§. 127. Nec obſtat *l. 8. §. 2. ff. qvod met. cauſ.* Nam viris bonis ſtupri metus major eſt, qvam metus mortis, qvia ſtuprum viro illatum eſt peccatum Sodamiticum, qvod majorem, qvam mortis pœnam meretur. *Ord. Crim. art. 115.* Verùm mulieribus metus ſtupri non eſt major, qvàm mortis metus, qvia pœna ſtupri mulieri illati hodie duntaxat pœna corporis aut multa eſt. *Magnificus Dn. Struv. in Synt. J. C. exerc. 49. th. 25.*

§. 128. Nec obſtat. *l. 1. §. 4. ff. ad L. Corn. de Sic.* Nam ſibi vel ſuis filiis ſtuprum inferentem impunè occidere licet, qvia in bonis viris ſtupri metus major eſt, qvam metus mortis. *l. 8. §. 2. ff. qvod met. cauſ. Ord. Crim. art. 116.* Verùm in mulieribus metus ſtupri non eſt major, qvàm metus mortis, qvia pœna ſtupri hodie eſt multa.

§. 129. Nec obſtat. *§. 1. J. qvib. mod. jus P. P. ſolv.* Nam falſum eſt, famam & vitam pari paſſu ambulare & metum ſtupri eundem eſſe cum metu mortis. Siqvidem ſi qvis fit infamis infamia juris & è numero civium tollitur, moritur qvidem morte civili ſed non naturali. Vitam enim naturalem ſervat. Aſt qvi occi-

 ditur,

ditur, non moritur morte civili, ſed naturali, qvia anima ſeparatur à corpore & vitam naturalem amittit. Deinde ſi mulier ſtupratur & pudicitiam per vim amittit, retinet pudicitiam animi, & ejus pœna eſt nulla; ſed pecuniã, qvàm ad evitandum ſtuprum metu coacta dedit, actione qvod metus cauſa repetere poteſt & ſic nec famam nec vitam amittit.

§. 130. Dominus rei ſi furem nocturnum occidit, ſed non legitimè pœna arbitraria eſt plectendus. *l. 9. ff. ad L. Corn. de Sic. l. 7. §. 1. ff. qvod met. cauſ. l. 4. ff. ad L. Aqvil. l. 54. §. 2. ff. de furt.*

§. 131. Is, qvi, dum alius in periculo mortis conſtitutus eſt, ita, ut vita ejus conſervari non poſſit, niſi cæde aggreſſoris, ad defenſionem inſultati & in periculo mortis conſtituti, aggreſſorem occidit, homicidium inculpatæ tutelæ committit, & nulla pœna eſt afficiendus. *Conſt. Carol. art.* 140. ibi: So einer zu rettung eines andern Leibs/ Leben oder Guth jemand ſchläget &c. Eo ipſo autem, dum nulla pœna eſt afficiendus, qvi inſultatum & in periculo mortis conſtitutum defendit, ſeqvitur ut homicidium inculpatæ tutelæ commiſerit; Nam homicidium inculpatæ tutelæ nulla pœna eſt afficiendum. *Conſt. Carol. art.* 140. Deinde, qvia dum proximus in periculo vitæ eſt conſtitutus, ita, ut vita ejus aliter niſi morte aggreſſoris conſervari neqveat, ad defenſionem proximi hominem occidit, & vim vi repellit, jure naturali permittente hominem occidiſſe intelligitur. Nam dum inter homines natura qvandam cognationem conſtituit, & alter alteri vim inferre conatur, & vitam adimere tentat, lex naturalis permittit, hominem ad vitam proximi conſervandam occidere. *l. 3. ff. de J. & J.* Præterea, dum proximus in periculo mortis eſt conſtitutus, ita, ut vita ejus aliter conſervari neqveat, niſi morte aggreſſoris, proximus jure divino permittente ad defenſionem proximi hominem occidere poteſt. Nam unusqvisq; proximum ſuum, ut ſeipſum diligere debet. *Lev. 19. verſ. 18. Matth. 22. verſ. 39. Marc. 12. verſ. 31. Luc. 10. verſ. 36. 37.* Eo ipſo autem dum qvilibet proximum ſuum diligere debet, ſicut ſeipſum, conſeqvens eſt, ut ſicut homo lege permittente ex amore ſui ipſius, ſi ipſe in periculo mortis eſt conſtitutus, per necem hominis ſuam vitam defendere poteſt, ita etiam proximum, qvi in periculo mortis eſt conſtitutus, lege per-

mittens